
6
20-b
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
8
G
30




CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI FERRARIENSIS

Poematia, quorum catalogum sequenti pagina reperies.

ITEM ANTONII GERALDINI POETAE LAVREATI BVCOLICA,

antehac paucis uisa.





PER ROBERTVM VVINTER, BASILEAE,
ANNO M. D. XLIIII.

CATALOGVS EORVM QVAE in hiſce Cynthij Ioannis Baptiſtæ Gyraldi Poematijs continentur.

LILIVS GREG. GYRALDVS CYNTHIO GYRALDO.

EDita cum nondum fuerint tua carmina Cynthi,
Cur tamen è populo quilibet illa canit?
Omen habe, nam Fama solet prædicere uerum,
Hoc signum longæ posteritatis erit.

IN DETRECTATOREM.

VT suaue est, puppim spectare in littore uentis
Commissam, & septam uorticibus rapidis:
Sic aliena quidem suaue est reprehendere, Mome,
Nec quicquam populi credere iudicio.
Tu quoq;, si edideris, disces compescere linguam,
Et tandem alterius carpere dicta sines.
Edere cum trepides, uirosos comprime morsus,
Et taceas, tua si, liuide, Musa tacet.

CYNTHIVS IOANNES BAP. GYRALDVS COELIO CALCAGNINO SVO S. P. D.



VM sęuis Fortunæ flu ctib. et aduersariorum meorum inuidia, plus quàm credi possit, iniquè uexarer, ego (licet nunquam animum desponderim) in otium & solitudinem me recepi, ratus mihi longe conducibilius esse, urbe relicta, uitam ruri degere, & à reb. pub. publicisq́ officijs eò usque desistere, quò sedaretur conflata in me aduersariorum meorum inuidia, odiumq́ mitesceret, & tandem ponentibus uentis, tranquillo mari peruecherer. Et quoniam præclarorũ uirorum sententia est, & ab optimo quoque recepta, nobis non minus otij quàm negotij rationẽ red-

reddendam esse, ne totũ id temporis, quo mecum eram, frustra absumeretur, & ut animi mei languores mitiores redderem, hocq; in otio nõ sine honesto negotio uersarer, Philosophiæ Medicinæq; studia non deserens, quibus à Ioanne Manardo, quem honoris causa nomino, iam pridem initiatus fueram, ad artem poëticam animũ appuli, cuius adolescens adhuc miro desiderio flagrabam: licet in ea uersandi, nec facultas, nec otium fuerit. Quare nostris hisce in angustijs id boni assecuti sumus, quod in tranquillis temporibus nunquam euenit, ut in ea scilicet studia uersari nobis integrũ fuerit, ad quæ iam pridem natura, & tua amantissima, fidelissimaq; consilia me uocarant: nec quicquã unquam magis pro sentẽtia euenit. Nam ut mihi, qui nunquam, aliquid carmine cõposueram,



honestissima pararetur occasio, qua tātum hoc temporis, quo mecum eram, cum Apolline & Musis esse possem, ea uotis meis materia oblata est, qua nec maiorem aliquam, nec clariorem desiderare potuissem: Diui scilicet ALFONSI Principis mei, Ducis inuictiss. & omnium quos unquam Sol uidit, clarissimi (cuius adhuc desideriū nos uexat, ac propemodum angit) immaturus interitus: & imperij HERCVLIS nostri in hoc ætatis flore, nec patri, nec principum cuiquam prudentia, nec animi magnitudine secundi, fœlicissima auspicia. Ego uero, Cœli, uellem, quod his tantum temporis dare mihi fas fuisset, quantum & rei magnitudo, & mea in utrosque hos Principes propensa uoluntas postulabat. Nam & clariora forsan in lucem prodijssent, & animi mei desiderium fœ-

licius

licius expleuissent, & omnium expectationi magis respõdissent. Sed postquam ab Antonio Musa Brasauolo, uiro clariss. singularięꝗ & eximia uirtute prædito, cui gymnasij nostri summa cõmissa est, ea habita est & authoritatis & dignitatis meæ ratio, ut ad solita officia summa cum laude me reuocauerit, ne ipse in hoc munere in me conferendo parum prudens uideretur, aut ego in eo negligendo non modò officij immemor, sed uiri honoris mei studiosissimi benignitatem paruifacerem, ab otio ad demandatum mihi ab ipso negotium, studium mentemꝗ conuertere coactus fui. Cum igitur his tantũ temporis et operæ, quantum opus erat, impẽdere nequiuerim, mecum statueram, ut ea in scrinijs meis perpetuò delitescerent. Cæterum ab Amicorum plerisque persuasi, ut

D. HERCVLI, Principi nostro mos
gereretur, hæc, quæ dum nobis hone
sto in otio esse licuit confecimus, in lu-
cem edere cõstituimus: tum ut hoc otij
nostri opus, solitudinisq́ munus, qua
lecunq́ est, extaret: tum etiam, ut ami-
cis obsequeremur, & hac cura soluti,
uegetiores, promptioresq́ ad obeun-
dum institutũ tandem reuerteremur.
Hæc autem priusquam in omniũ ocu
los exeant, tibi homini eruditissimo, et
pręcęteris oculatissimo submittimus.
Teq́ per communia studia, & per mu
tuam inter nos necessitudinẽ rogatum
uolumus, ut quicquid in his reprehen
deris, quod minus approbes, id omne
expũgas, immutes, & pro arbitrio de-
leas, ita ut uel prorsus in spongiam (si
id res postulauerit) incumbant, uel tu-
is luminibus illustrata, quas ipsis tene-
bras maleuolorũ improbitas offude-
rit,

rit, quod ſuapte natura facere non poſ ſent, ſuperare ualeãt. Tu uero Cœli, in his corrigendis tantum & ſtudij & diligentiæ impende (ſi ea penitus non damnaueris) quantum ad horum ſitũ, & rubiginẽ tergendam ſat erit. Nam cum hæc tuo iudicio munita, & induſtria exculta fuerint, maledicis hiſce Cœlij calculum, ueluti ſeptemplicem illum Aiacis clypeum (loquar more poëtico) intrepide obijciam. Quanq̃ ut noſtris hiſce primitijs aliqua & authoritatis & gratię, tum apud illuſtriſſimum Principem noſtrũ, cui primũ placere ſtudeo, & cui primum debentur, tum apud reliquos omnes fieret acceſſio, quã olim ad me dediſti de Imitationẽ cõmentationem, luculentiſſimam illam quidem, & Cœlio authore dignam, à literatiſq; omnib. pridem expetitam, ijs ceu theſaurũ quendam

ſuperaddidi: ut ſi tenuia hæc legenti faſtidio erunt, habeat ſaltem ipſe aliquid egregij, unde animum reficere ualeat, & ſumma cum uoluptate, ſummam ſibi utilitatem comparare. Vale, ex Cynthiano meo ad IIII. Calen. Nouembris.

M. D. XXXVI.

COELIVS

COELIVS CALCAGNINVS
CYNTH. IO. BAP. GYRALDO
Suo S. P. D.



HABEO tibi gratiam, mi Cynthi, quod tuas delicias, id est lepidissimos tuos uersiculos, ad me dederis, quos ipsis planè Musis dictantibus te excepisse credimus. Hoc scilicet illorum Genius, & incredibilis quædam suauitas, uel ipsi Midæ potest persuadere. Me certe ita illexerunt, tenueruntq; dum legerē, ut experirer non frustra Homerum scripsisse, Vlyssis socios gustata semel loto, à Lotophagis non potuisse diuelli. Quod uero mecū etiam pacisceris, ut tuas Musas ad censurā uocem, & cum ijs inuerso stylo depugnē, neq; æquum postulas, neq; conditionem accipio. Phœbum iratum habeam, si quid est ijs dulcius, amœnius, elegantius, ut neque oculatus ille undecūq; Momus, uel in crepida quicquam possit arguere. Blandè itaq;, ac delicatè, ut par fuit, à me exceptæ sunt:

ſunt; & quom ad te redire feſtinarent, uix à me tandem potuerunt miſſionem impetrare. Quod ni crimẽ plagij mihi abs te obtrudi reformidaſſem, in eas uel Cupidinis uincula conieciſſem, uel Sirenum gremio concluſiſſem tantiſper, dum te parentẽ obliuiſcerẽtur, & uolentes nolentes apud me adſueſcerent. Nam, ut uerum fatear, ego mearum deformitatem Camœnarũ pertæſus, magno ambitu unum hoc procuraui, ut tuæ tamdiu apud me forent, donec illarum conſuetudine expolitæ noſtræ meliores elegantioresq́ fierent, uel (quod poſtremum fuit in uoto) ex earũ ſaltem pigmentis, ac narthecijs cognatam fœditatem corrigerent.

Vale.

CYNTHIVS

CYNTHIVS IOANNES. BAP. GYRALDVS D. HERCVLI Estensi Duci inuictiss. S. P. D.



I tantum carminibus hisce, quæ de obitu Diui ALFONSI, & tibi & patriæ parentis optimi, quem nuper immatura mors (prò dolor) nobis eripuit, & de tua in patrium & auitum regnum felicissima successione à me cõposita sunt, & Veneris inesset, & grauitatis, quantum res ipsa postularet, ea intrepide ad te uenirent. Verum cum hęc rei magnitudini nõ respondeant, uix mihi digna uisa sunt, ut abs te Principum omniũ & doctissimo, & grauissimo legantur. Quid enim decoris aut gratiæ habere possunt, quæ ab homine Dialecticam publicè profitente, dum is prælegẽdi muneri uacaret, composita sunt? Vicit tamen pudorem meum, penè subrusticum, mea in te fides ac obseruantia, & tua in uniuersum popu lum

ium, nedum in eos qui laudum tuarum sunt cupidi; tum liberalitas, tum benignitas. Veniũt igitur ad te, Dux inuictissime, carmina mea, inculta illa quidem, quid enim uerum dissimulem, sed animi mei, numini tuo deditissimi, certissima pignora. Tu hæc ea fronte suscipe, ut quod materię dignitati ingenij mei culpa detractum est, id omne tuo fauore tam abunde sarciatur, ut Gyraldum laboris non pœniteat. Et si quis apud te uacat locus, meusq; hic tibi addictissimus animus haud ingratus est; me pro tua innata humanitate, inter tui studiosos benigne repone. Vale decus meũ, & hoc qualecunq; est muneris tui Gyraldi, boni consule.

M. D. XXXVI.

D. ALFONSI ESTEN.

D. M.

ALFONSO ESTEN. FERRARIEN. PRIN. DVCI INVICTISS. IVSTITIAE AC PIETAT. OBSERVANTISS. SAPIEN. PRVDEN. BELLI PACISQ. PERITIA ET OMNIBVS TANDEM CORPORIS ET ANIMI DOTIBVS NVLLI PRIN. SECVNDO.

QVI FLANTIS AC REFLANT.

FORTVNAE VICES ALTERNA VELIFICATIONE IN HOC VITAE PELAGO ADEO EGREGIE MODERATVS EST VT IN ADVERSIS CONSTANTIOR NE FVERIT AN IN SECVNDIS MODEST.

DIFFICILE SIT COGNITV.

ET QVEM ANN. NATVM LIX. IMPERII ANN. XXX. P. M. PACE POST INFINIT. PROPEMODVM BELLORVM TVMVLTVS ET SIBI ET PATRIAE PARTA QVASI EIVS FELICITATI INIQVISS. INVIDERINT FATA IMPROBA MORS (PRO DOLOR) NOBIS ERIPVIT. CYNTH. IOANN. BAPT. GYRALD. EIVS NVMINI DEVOTVS PATRONO AC PRINCIPI INTEGERRIMO ATQVE INCOMPARAB. PATRIAEQ. PARENTI OPT. MOESTISS. ATQVE INFELICISS.

B. M. P.

H. H. M. N. S.

Hic ALFONSE *iaces, sed non iacet inclyta uirtus*
Hic tua: nam celebrat te mare, terra, polus.

CYNTH.

CYNTHIVS IOANNES BAP. GYRALDVS D. HERCVLI Estensi II. Duci illustriss.

SI quando tristes luctus lux improba nobis
Attulit, & miseras compulit ad lachrymas:
Nunc illa illuxit, qua nunquam tristior ulla
Est uisa, aut miseris luctibus atra magis.
Occidit ille etenim, decus ingens urbis, & orbis,
ALFONSVS, *Latij gloria prima soli.*
Heu nostrum cecidit columen, spes maxima regni,
Sospite quo nobis paxq; quiesq; fuit.
Hinc orbis mœret, squallent hinc omnia luctu,
Et nunc urbs omnis nil nisi triste sonat.
Quare ego funerea redimitus tempora fronde,
ALFONSO *has miseras persoluo inferias.*
Quæ tibi do ALCIDE *tristissima munera mortis,*
Munera sed cineri persoluenda patris.

CYNTHII

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI IN OBITV D. ALFONSI Estens. Ducis inuictiss. Epicedion.

AD D. HERCVLEM II. FERRARIENSIVM PRINCIPEM EXCELLENTISS.



NDE mihi lachrymas, gemitus, suspiria, & unde,
Heu, querulas sumam uoces? aequare dolorem
Queis ualeam infelix, saeuum qui uulnus adegit
In pectus miserum? linquunt me in funere uires,
Atq; oculos haurit pietas, rumpitq; uigorem
Vis immensa mali. Nam non modò gloria prima
Gentis Atestinae, sed gloria concidit orbis, *Atesta, oppidum est, quod uulgò Esta.*
ALFONSVS, *Dux ille ducum, satus Hercule magno,*
Ausoniae specimen, patriae dominusq;, paterq;,
Praesidium nostriq; decus, quo sospite nobis
Pax fuit, & laetos felices duximus annos.
Tu mihi praebe animos, uiresq; & carmina dicta
Summe ducum, siue Elysium, seu lucida coeli
Sidera nunc calcas, fragili compage solutus.

A Nam

Nam chorus Aonidum perculsus funere tanto,
Indulget solum lachrymis: & doctus Apollo,
Fila negat citharæ tristis pulsare sonoræ.
ALCIDES q́; tuus, patrias qui tendit in artes,
Mauortis, Phœbiq́; decus, qui sceptra paterna
Iam tenet, atq; amplas regni moderatur habenas,
Mœstitia pressus, solitum præbere fauorem
Abnuit, ora rigans largo regalia fletu.
Ergo meis adsis, præsens q́; illabere cœptis,
Tu rege defessas uires, animamq; labantem,
Et uirtute tua numeros nunc dirige nostros.
Non tamen hic referam præconia maxima laudis
Ipse tuæ, aut magnos tibi qui debentur honores:
Obstat enim uis magna mali, uoxq́; ægra relinquat
Heu, miserum pectus, fractum singultibus imis:
Forte aliàs maiora canam. nunc funera dicam,
Funera, quæ tantos nobis peperere dolores.
Interea Phœbus, Mauors, & bellica Pallas,
Astræa, & sociæ, tundentes pectora palmis,
Astabunt tumulo, simul & solennia soluent
Iusta tibi, inuidit quem terris improba Clotho.
Iam pater omnipotens felici lumine terras
Spectarat præsens, & dulcem uiuere uitam
Præstiterat nobis, hoste inclemente perempto,
Iamq́; omnes sacros diuis adolemus honores,
Atq; damus pia thura focis, & munera templis.
Et pater

Et pater ALFONSVS, nostri noua gloria secli,
Demissum cœlo numen ueneratur amicum,
Farnesium, qui orbi requiem, nobisq; perennem
Concessit pacem, felicesq; annuit annos:
Et lætis totam complent clamoribus urbem
ALCIDES, fratresq; simul, populusq; patresq;.
Rupit at inuisum nobis data gaudia fatum,
(Sic cesset quisquam spem rebus ponere lætis,
Nam nulla est terris unquam sincera uoluptas)
Namq; iocos inter, magna inter gaudia nobis
ALFONSE, heu, raperis, dum febris lethifer æstus
Te exurit, totosq; ardens depascitur artus.
Sic quem non hostes, non mille pericula belli,
Non structæ insidiæ potuerunt uincere, uicit
Febris, & ante diem demersit funere acerbo.
Non tantum ingemuit Marcello Roma perempto,
Nec tantum chari Theseus post fata parentis,
Quantum morte tua Ferraria luxit, & omnes
Ausoniæ populi. totus te fleuit & orbis,
ALCIDES q; tuus: qui mœsto è pectore largos
Effundit gemitus, lamentisq; æthera complet.
Hic etenim subita perculsus morte parentis,
Imperio haud lætus tanto, solio 'ue superbo,
Longum hæsit busto infelix, lachrymansq;, gemensq;.
Vtq; animam potuit tristis deducere ab imo
Pectore, & immenso uoci laxata dolore

Paulū III. qui prius erat Alexāder de Farnesijs.

Est uia singultanti, hos fudit pectore questus.
Te'ne, ô chare pater, te'ne impia fata tulere?
Te inuidit fortuna mihi? cum læta uenirent
Tempora, quæ fuerant longo quæsita labôre?
Aeterno tibi sic clausit mors lumina somno?
Et me nunc tanto fecit superesse dolori?
Quid iuuat armatas toties struxisse phalanges?
Quid ferro fudisse acies? hostesq; superbos
Strauisse? & templis uexilla locasse deorum,
Alme parens? si cum pacem morte attulit hostis
Inclemens, rapuit quem nunc clementia diuûm,
Occidis, & moriens solatia parta relinquis?
(Me miserum, humanis quæ stat fiducia rebus?)
Te pater extinctum uideo, quem uiuere secla
Nestoris optabam: quis te mihi casus ademit?
Hoc erat, hoc ipsum, quod pridem dire Comete
Prædixti nobis radijs, & crine minaci.
Anno enim 1533. conflagrarat aula. Hoc ipsum ingenti consumpta & regia ab igne
Signarat quondam, (si mens non læua fuisset)
Prò dolor, ô nati miseri insanabile uulnus,
O sæua, ô nimium, nimium crudelia fata,
Exaturata meis damnis. quæ uita futura est
Nunc mihi? quis'ue meos casus solabitur? heu, heu,
Gaudia nostra tulit secum mors atra parentis.
O te felicem, nostro qui ex orbe remotus
Frater agis, tantum & crudeli à funere distas.

Nam tibi sit quamuis iustissima causa dolendi,
Attamen id poterit sæuo dare frena dolori,
Quod tibi non rapuit Clotho te dira uidente
Egregium patrem, tenebris nec mersit opacis.
Pressi equidem (fateor) languentia lumina, pressi,
Extremamq; animam legi morientis ab ore.
Ast oculis, his inquam oculis, mala funera uidi,
Et tot sæua mihi fixerunt spicula pectus,
Quot patris in letho tristis pia munera obiui.
Heu uitam uiuo inuisam, nec regia sceptra
Extincto me patre iuuant, nec reddere iura
Pacatis populis: mihi purpura sordet, & aurum.
O mors inuisa, & rebus contraria nostris,
Quid te (me miserum) quid te, crudelis, adegit
Eripere (heu) nato miserando funere patrem?
O saltem liceat simili mihi sorte dolorem
Finire, & simili tecum me occumbere fato,
Chare parens, tecumq; animam hanc effundere in auras,
Vt liceat solitas audire ac reddere uoces.
Ast immota manet, lachrymis nec flectitur ullis
Sors sæua, & surdo iacto mea uerba sepulchro,
Et mutos queror ad cineres. ô cura, dolorq;
Languentis nati, quondam mea magna uoluptas,
O fatis inuise parens: en accipe honores
Extremos, tibi quos deflens in funere soluo.
Aeternum fœlixq; uale, certissima nostri

Spes quondam, patriæq; & gentis gloria nostræ,
Extremumq; uale genitor, decus addite diuis.
Spargite humum folijs, gelidos dum condimus artus,
Manibus & pia uota damus. Tu cinnama funde,
Purpureos frater flores: ego balsama, amomum,
Cumq; his æternos gemitus, miseranda dolentis
Munera, chare pater, nati & miserabile pignus.
Talia dicentem mœstißima regia coniux,
Fœmineum specimen, lachrymis comitatur obortis:
Frater & Hippolytus, patriæ spes altera nostræ,
Egregiumq; decus, cui gloria magna galeri est
Debita purpurei, (quod Iuppiter anuat ipse.)
Et populus, patresq; simul, iuuenesq; senesq;,
Lamentis urbem complent, atq; æthera fletu.
Nunc cœlum, nunc fata uocant crudelia, & ipsum
Sæpe Iouem damnant, priscæ quod commoda uitæ
Abstulerit miseris, & ruperit otia parta,
Nec lachrymis finem, magnis nec questibus unquam
Fecissent, subito ni summo à uertice cœli hæc
Vox audita foret, luctus quæ pressit inanes.
O tandem grauibus requiem præstate querelis,
Inuicte ALCIDES, fratresq;, & Dia RENATA,
Inuicti ALCIDAE coniux rarißima, coniux
Tanto digna uiro, magnis uirtutibus aucta.
Nam pater omnipotens, nutu qui temperat orbem,
Magnanimũ ALFONSVM sublimem uexit ad astra,
(Posce-

(Poscebat matura polum nam regia uirtus)
Postq; obitum æternos ipsi est largitus honores.
Hicq; inter lætas animas, cœtusq; beatos,
Felix morte sua, magna comitante caterua
Heroum, ætherias lætißimus incolit arces,
Nil mortale tenens, & lucida sidera calcat:
Immixtusq; deis, suprema in sede locatus,
Et lunæ solisq; iubar miratur, & orbis
Arcana inspectat, rerumq; elementa recenset:
Illarum euentus uarios, seriemq; futuri,
Quid natura queat, qua sidera lege mouentur,
Vnde hominum, pecudumq; genus, unde imber, & ignes,
Vnde mare, & tellus, & fulmina, uentus, & aër,
Miraturq; genus, famamq;, & fata nepotum.
Felicesq; annos uobis, felicia poscit
Secula, & optatam per tempora longa quietem,
Et lætus, felixq; alto de uertice cœli
Te spectans, nati factis sua cedere gaudet.
Nec enim passus fastidia longa, nec annis
Occubuit primis, nec dum crudelia bella,
Bella per Italiam multum grassata pararent
Imperio excidium uestro: sed pacis ubiq;
Semina conspexit, fructus paritura beatos.
Te egregium forma iuuenem, & præstantibus ausis
Insignem ALCIDE, *patrias iuisse per artes,*
Et belli, paciq; simul iam munera obisse.

Hippolytumq; tibi iunctum pietate, fideq;
Iunxit Amyclæos ut quondam gratia fratres.
Franciscumq; sibi uidit nomenq; decusq;
Quærere, & æternis famam protendere factis.
Adde, quod uxorem, qua nulla uenustior usquã est,
Virtute aut maior, aut sanguine maior auito,
Deuinctam sancti uidit tibi fœdere lecti,
Nec non & pulchra factum te prole parentem.
Namq; est Anna tibi, cuius de lumine lumen
Sidereum fulget, cui regia splendet in ore
Forma puellari, blandum cui gratia ridet,
Quæ tibi magnanimos sublimi è stirpe nepotes
Gignet, & egregios ingenti munere laudum.
Quid memorẽ Alfonsum? gestis qui, ut nomine, magnũ
ALFONSVM referet, famamq; æquabit olympo.
Tu quoq; nunc tristes luctus, Ferraria, pelle,
Et plausu magno, magnum uenerare parentem,
Quem tibi demisit cœlo pater ipse deorum,
Huius ut auspicijs inter caput inclyta tollas
Vrbes Italiæ felix, longumq; quieta,
Et regni fines extendas solis ad ortum,
Solis ad occasum, necnon Aquilonis ad oras,
Australesq; plagas, summo & potiaris honore.
En redit illa dies tibi, qua Saturnia secla
Prouenient cœlo. ueterum nam damna malorum
ALCIDES, magnus uirtute, insignis & armis,

Iustitiaq;

Iustitiaq́; potens, soboles certißima diuûm,
Sarciet, & longa soluet formidine terras,
Bellorumq́; faces, monstris ex orbe fugatis
Extinguet, tribuetq́; tibi per secula pacem.
En iam candidior Phœbus caput exerit undis,
Clarius & solito splendescunt lumina olympi,
Et blandum heroi rident cœlestia fata,
Atq; ipsi dignos cœlo largitur honores
Iuppiter, & terras superis Astræa relictis
Iam colit, atq; Fides, sceleris uestigia nulla
Apparent terris, uiget undiq; & undiq; Virtus.
Farnesiusq́; pater, lacero præfectus ouili,
Romanæ sedis præses, atq; arbiter orbis,
Qui cupit Italia lethale auertere bellum,
Et Marti præferre togam, placidamq́; quietem,
Egregij iuuenis miratus pectoris artes
Hunc fouet, & magnæ persoluere præmia laudi
Iam parat, hunc merito iam iam dignatur honore.
Et Cæsar rerum dominus, quem Iuppiter ipse
Concessit terris, læta ut per secula mundum
Poßideat, Latioq́; decus uictricibus armis
Restituat, felix super & Mæotica regna,
Et Babylona feram, & septemgemini hostia Nili
Proferat imperium, & populos, gentesq́; superbes
Excindat uirtute sua, pellatq́; rebellem
Regnatorem Asiæ, simul & cunabula ueri

Numinis (heu facinus) tantos uiolata per annos,
Vltus agat uictor, spolijs Orientis onustus,
Miratur iuuenem inuictum, qui nomine magnum
Reddit auum, patrem reddit qui ingentibus ausis:
Huncq; cupit patrium pacata per otia regnum
Perpetuis regere imperijs, & pace perenni.
Hinc pater Eridanus, cubito qui innixus, & urnæ
Defleuit longùm, nymphasq; ad tristia ciuit
Munera, & amissum decus est conquestus in undis,
Iam lætus, uultum placido nunc tollit ab amne,
Et te felicem tanto Ferraria rege,
Seq; uocat, tanto & felix se iactat alumno,
Quem pietas, quem rara fides, quem gloria belli,
Marcello similem reddet, similemq; Camillo.

FINIS.

HERCV-

HERCVLES ESTENSIS DVX SALVTATVS.

LILIVS GREGORIVS GYRALdus ad Cynthium Ioan. Baptiſtam Gyraldum.

Quid dudum lepidum nouum libellum
Ceſſas edere, mi diſerte Cynthi,
Quem leui modò pumice expoliſti?
Nil eſt quod uereare, nil timendum
A ſannis tibi ſellulariorum,
Quando his primitijs tibi paraſti
Inſignem capiti tuo coronam,
Quam fruſtra cupiant ſenes habere.
Ergo ne tibi gloriam inuideto,
Nec quicquam dubites, diſerte Cynthi,
Muſis, & ſacer Herculi *eſt libellus.*

D. HERCVLI ESTENSI Duci inuictiſſimo.

ALCIDE *patriæ rector, dominusq́;, paterq́;,*
Sub quo læta quies, et bona cuncta uigent.
Cum tua ſceptra leges, tenui quæ carmine dixi,
Conueniens regi pone ſupercilium.
Nec licet æqua tuis referant mea carmina factis,
Tu tamen hæc ueri pignus amoris habe.
Mens mihi maior erát: ſed cum ſim uiribus impar,
Deficiantq́; humeri, ſit uoluiſſe ſatis.

AD

AD ILLLVSTREM GALEATIVM Estens. Tassonum Comitem clarissimum.

TAssone Aonidum decus et memorabile Martis,
In quo uerus honos, gloria uera nitet:
HERCVLIS absolui tandem felicia sceptra,
Vt tulit angusti temporis hora breuis.
Tu modò fac, quæso, uotis ut leniter adsit
Dux nostris, placidoq; hæc simul ore legat.
Sic tua Mars semper felicia uota secundet,
Sicq; canat Phœbus fortia facta tua.
Hoc mihi si dederis, si Dux arriserit ausis,
Tu mihi Mœcenas, is mihi Cæsar erit.

CYNTHII

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI

HERCVLES ESTENSIS DVX SALVTATVS.



Actenus ALFONSI defleui funus acerbum,
Iam satis indultum est lachrymis, intexere chartis
Maiora est animus. Nunc ô nunc Phœbe canenti
Suffice plectra precor, cœptisq; illabere nostris,
Tuq; adsis decus Aonidum, fortißime regum
ALCIDE, Marti simul & gratißime Phœbo,
Gloria Atestinæ, decus & memorabile gentis,
Fama ingens, uirtute ingens, ingentior armis,
Quo gaudet rege, & gaudet quo patria patre.
Spes regni, spes fida mei, spes fida meorum.
Te sine nil nostræ possunt audere Camœnæ,
Summe ducum, famæ tu pars es maxima nostræ,
Iam fletus, iam siste graues, sat lumina, sat iam
Regales maduere genæ: te gaudia poscunt,
Quæ nunc pertentant totam feliciter urbem.
Huc oculos, huc uerte animum: Nunc respice uatem,
Qui tua sceptra canit, cœpto & succurre labori.
Maius opus moueo, quàm possim uiribus ipse
Ferre, etenim uirtus tanta sub mole fatiscit.

CON-

CONTINVATIO
cum Epicedio.

VT uox è cœlo nostras demissa per aures
Indixit lachrymis finem, sæuoq; dolori,
Et nobis, patriæq; nouos promisit honores:
Incensi patres dictis, omnisq; Senatus
Te regem, ALCIDE, statuunt, ipsamq; iuuentæ
Aetatem ad tantos regni perferre labores
Haud dubitant aptam, certi grauitate, fideq;
Quid possis, quantum & ualeat tua uiuida uirtus,
Iustitia, & pietas, nec non & conscia recti
Mens, qua nunc totum nomen diffundit in orbem
Fama tuum, priscis & te iam regibus æquat.
Hinc desiderium minuunt genitoris adempti,
Et fletus sistunt, simul & lachrymantia tergunt
Lumina, & Herculeum nomen super æthera tollunt.
Fit strepitus tectis, resonant clamoribus auræ.
Tum iuuenũ glomerata manus, procerumq; caterua,
Diuerso insistunt operi. nam uestit amictu
Pars niueo regem: capiti pars altera celsum
Dat decus, auratum lateriq; accommodat ensem.

HECTOR SACRATVS
Plebis Tribunus.

MOX sceptrū insigne, & gemmis fulgentib. aptū
Hector sacratus, plebis qui iura tuetur,
Heroum lux alma, ingens, meritisq; uerendus,
Vt bene cōmendat transactæ gloria uitæ,
Et pacis studium, & pietas, & publica cura,
Inuicto ALCIDE tradens: En accipe, dixit,
Quæ tibi dant pridem uirtuti debita tantæ
Vnanimi cum plebe patres, felicia sceptra,
Ad quæ fata uocant te, Princeps: cura tuorum
Sit tibi, tuq; precor, propius res aspice nostras.
Dixit. at ALCIDES regali indutus amictu
His gaudens donis, & tanto lætus honore,
Regia sceptra capit, placidus dehinc talia fatur:
Non erimus regno indecores, urbs ipsa parentem,
Non regem accipiet. sic Di pia uota secundent.
Nec plura his: manibus gestans uenerabile donum,
Ad fora descendit, magna comitante caterua.
ALCIDEN gaudent certatim cernere cuncti,
Regali insignem sceptro, cui fulget in ore
Fortunæ maioris honos, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & quicquid clari tribuisse uerenda
Maiestas potuit, uirtutum & lumina late
Luminibus fundit, iam sese illustrior ipso.
Sic sol cum cæcas discussit lumine nubes,
Auricomumq; iubar spargens, caligine densa
Obsessum pridem, radijs fulgentior ardet.

ALFON-

ALFONSVS TROTTVS EQVES Hierosolymitanus.

TVM Geticum alipedem niueo candore nitentem,
Ceruicem tollentem altam, flammasq́; cientem
Naribus igniuomis, quo non præstantior alter
Aut cursu superare alios, aut sternere pugna,
Conspicuum forma, mandentem dentibus aurum,
Ornatu tectum niueo, phalerisq́; superbum,
Et cono præsignem albo, cui plurima collo
Gemmarum pendet series adamante corusco,
Adducit Regi ALCIDAE fortißimus armis
Et pace Alfonsus clarus, lux inclyta secli
Huius, & egregijs æquans sua nomina factis,
Religiosus eques. Dum regi adducitur, ipse
Telluri insultat sonipes, greßusq́; superbos
Adglomerat, fremituq́; forum simul implet acuto:
Ac uelut inuicti Regis cognoscat honores,
Ardet inexpletum domino supponere tergus,
Exultans, tunditq́; solum, & auribus acer,
Et domino haud segnis sese lætissimus offert.

HERCVLES ESTEN. DVX equo inuectus.

HVnc agilis sumptis Heros conscendit habenis,
Perq́; urbem graditur sceptro decoratus auito,
Non clypeo armatus, galea tectus'ue comanti,

Non

Non hasta, non ense ferox, ut sæpe solebat
Quando ante ora patris pugnæ simulachra ciebat
Terribilis, Martemq́; ipsum referebat in armis:
Siue hastam manibus caperet, seu stringeret ensem
Fulmineum, peteret'ue feras magno impete turmas,
Alipidem'ue citum ferratis calcibus acer
Ad cursum urgeret, premeret'ue sonantia frena,
Aut læua in gyrum facili uersaret habena,
Siue hunc calcari stimulans se attollere in altum
Cogeret, & saltu liquidas assurgere in auras:
Sed grauis aspectu, clemens, placidusq́; serena
Ora gerit, placidam cunctis spondentia pacem.

HERCVLES TVRCVS BERlingerius Neopolitanus comes.

HVic hæres læuo lateri pedes, optime bello
Turce, ducis nostri claro qui nomine gaudes,
Ore grauis, forma insignis, præstantibus ausis,
Gentis honor Turcæ: dextro, non indecor armis,
Belliger Enceladon, ferrugine clarus Hibera,
Parthenopeq́; satus, tenerorum assertor amorum,
Eximium cui fama decus, nomenq́; parauit.

GALEATIVS ESTEN. TASsonus comes.

BIstonius quem portat equus, fortißimus anteit
Hippodamus, cura egregij certißima Regis,

Et Marti, & Musis gratus, pulcherrima Iuli
Tassoni soboles, haud inficianda parenti,
Diuinum spirans oculis, cui pectore fulget
Tortile distinctum baccis fulgentibus aurum,
Auratum indutus sagulum, mirabile textum
Palladis, atq; artis diuinæ pignus. honorum
Muneris hic hæres patris, quem robur in armis,
Et pace incorrupta fides, & clara sub alta
Sidera fama tulit, præsignem grandibus ausis
Ensem, insigne decus, gemmis, auroq; superbum,
Inuicto ALCIDAE *præfert, mirabile uisu,*
Quantam hic ostentet speciem, quantusq; serenæ
Frontis honos niteat, quanta & sit gratia formæ.
Talis erat Mauors, cum se fulgentibus armis
Exuerat, galeaq; ignem flammasq; uomente
Nudarat sacram faciem, campumq; patentem,
Vectus equo, & pressis gressum moderatus habenis
Lustrabat gestans dextra memorabile ferrum.

AVGVSTINVS MEDIOlanensium legatus.

CAndenti ast inuectus equo doctissimus ille
Augustus senior, magni qui hic munia Regis
Insubrûm prudenter obit, lux addita nobis,
Cui geminam tribuit puero Tritonia linguam,
ALCIDEM *iuxta graditur, pars maxima pompæ.*

HIP-

HIPPOLYTVS ESTENSIS ARchiepiscopus Mediolanensis.

IT comes Hippolytus, sacro uelatus honore,
Flos ueterum, uirtusq; uirûm, spes altera regni,
Purpurei quem certa manent decora alta galeri.
Hunc Musæ, Phœbusq; iuuant, cultusq; deorum,
Et pacis studium: sed ubi Mauortia signum
Dat tuba terribilis, poscitq; in bella phalanges,
Belli æstu flagrat, Mauortis concitus œstro,
Atq; ardens feruet circum præcordia uirtus,
Nec dubitat uitam uera pro laude pacisci.
Et si forte ferox nitidis sese induat armis,
Et galeam capiti imponat fuluo ære coruscam,
Terribilem & cristis galeam, flammisq; minacem,
Fulmineumq; ensem lateri succingat habendum,
Hunc credas bello Gradiuum uincere patrem,
Siue pedes stricto moueat fera prælia ferro,
Siue inuectus equo concurrat fortibus hastis,
Aut inflectat equum, campo seu currere aperto,
Et uolucres rapido cursu præuertere uentos
Cogat: siue arctis currentem sistat habenis,
Hinc aut hinc agitet, uel paruum uerset in orbem,
Seu glomerare gradus, librare aut corpora saltu
In tenues auras stimulis compellat acerbis.
Macte animo, Hippolyte, & proles dignissima patre,

Et fratre ALCIDA *dignus, tibi numina diuûm*
Aspirent, uotisq; tuis feliciter adsint.

ALFONSI DVO ESTENSES.

His sese comites addunt Alfonsus uterq;,
Patre ambo digni, pariter claræ indolis ambo,
Virtutisq; ambo atq; animi monumenta paterni:
Quos olim, non iam Penei ad fluminis undam,
Sed magni Eridani ad ripas pulcherrima Daphne,
Illa tuos Daphne, Pæan, quæ spreuerat ignes,
Non laurus, sed iam propria sub imagine formæ,
Edidit ALFONSO *dias sub luminis auras,*
Sorte sua Daphne felix, & prole beata.

GVRONVS ESTENSIS.

Cumq; his incedit consanguinitate propinquus
Antiphates regi, multo pellucidus auro,
Acer equo, fortisq; pede, & memorabilis armis,
Atq; ingens belli fulmen cum prælia miscet.

IACOBVS ALVAROTVS
& Francinus Ducis à
consilijs.

Et tu magne Solon, magnum qui Nestora uincis
Consilio, pietate Numam, grauitate Catonem,
Summus honos Pataui, populos cui sæpe regendos
Credidit ALFONSVS, *Regem comitaris euntem.*
Teq; Dracon sequitur, toto celeberrimus orbe:
Ille Dracon scelerum terror, uindexq; bonorum,

Fasq; piumq; colens, miseris noua gloria seclis.

MARCVS ANT. BEGATtus prætor.


INsequitur Prætor, quem nulla æquauerit ætas,
Iuris honos gemini, titulisq; ingentibus auctus.
Iustitiaq; potens, nomen qua inuexit olympo.

LVDOVICVS CATO I.V. consultus.

ET tu magne Cato, legum decus, urbis & ingens
Gloria prima tuæ, qui late diuite fama
Aeternum fundis tua nomina clarus in æuum,
Mente potens, quamuis sit morbo debile corpus,
Is comes, & magnum sequeris, tua gaudia, Regem.

OPIZZO REMVS ET ALEXANxander Guarinus à secretis.

Affuit & nomen tribuit cui fama perenne
Pace Remus clarus, cui mens imperuia fraudis:
ALCIDAE tantum lætus qui gaudet honore,
Extincti quantum fleuit mala funera Regis.
Tu quoq; qui fueras ALFONSI fidus Achates,
Et nunc ALCIDAE seruas consulta, Varine,
Nomine Alexandri clarus, cui nomen auita
Nobilitas tribuit, cui lactea copia fandi est,
Et Phœbo ante alios gratus, doctæq; Mineruæ,
Pegasidumq; choro addictus, cui pectus Apollo
Numine cœlesti complet, cui carmina dictant



Pegasides, tribuit Pallas cui munera mentis,
Egregium referens patrem, magnumq; Varinum
Exuperans uirtute tua, licet inclitus ille
Eloquio fuerit, geminæ & lux unica linguæ,
Qui Florentinam fęlix orator ad urbem.
Missus ab ALFONSO, perfunctus munere quantum
Consilium ualeat, grauis & facundia quantum,
Monstrasti latè rerum ad tua uota potitus,
ALCIDAE multum pompæ superaddis honoris.

IACOBVS ACTIAIOLVS.

ACTius, & regi inuicto gratissimus, ille
Actius, Aonides cui carmina docta dedere,
Cum puerum abluerent manibus Pimpleide lympha,
Aeternisq; darent sua nomina tradere chartis,
Siue elegos caneret, seu Martia gesta cothurno
Diceret ille graui, Phœbeo concitus œstro.
Aspice quàm magno reboet caua buccina cantu,
Hic ubi is Amphimachumq́;, & fulmineum Celadunta
Concinit, ardentesq́; uocat in bella phalanges
Magnanimûm Heroûm, pugnæ simulachra cientum,
Huic meritò adserpunt hederæ, huic pia numina uatum
Intexunt meritò sacra de fronde coronam:
Et pater Eridanus tam raro exultat alumno.

ANTONIVS ROMEVS.

ET tu qui Hippolyti curas, arcanaq́; seruas
Pectore sub tacito, primo qui in flore iuuentæ

Et uarios

Et uarios hominum mores, uariosq; locorum
Nouisti, hos inter uirtutum lumine fulges.

BARTHOLOMEVS FERRINVS.

INdictus Ferrine meo nec carmine abibis,
Vrbis deliciæ, primis quem iunxit ab annis
Docta Erato nobis, præsigni uinculo amoris,
Cum canerem Daphnem, caneres tu Cypridis arma,
Ardentesq; faces, sæuosq; Cupidinis ignes,
Virginis os, habitumq; tuæ, moresq; pudicos,
Ambo florentes ætatibus, & simul ambo
Hetrusca Veneri meditantes carmina Musa.

HERCVLES BENTIVOLVS.

IBas insignis plectro, citharaq; decorus,
Alcida illustris, gemina cui tempora lauro
Præcinxit Phœbus, cum te fecere poëtam
Pierides, sacroq; afflarunt numine pectus.
Tu felix uates, tibi se dicenda reseruant
Fortia facta ducis, tibi stat, mihi crede, laborum
Certus honos, & certa manent te præmia laudis.

ANTONIVS MVSA BRASA-
uolus Archiatrus.

ISte is mixtus socijs, non indecor arte
Pæonia, atq; potens rerum cognoscere causas,
Nec non herbarum uires, usumq; medendi,
Antoni, gaudes prisci qui nomine Musæ.
Non tamen immeritò: arridet nam Gratia blandùm

Ipsa tibi, fauet & uotis fortuna secundis,
Concesśitq; tibi puero sua munera Phœbus,
Pœonia quo fretus ope, & deducere ab Orco
Extinctos posses manes, spemq; addere uitæ
Aegro hominum generi, & lethi depellere causas.

ALEXANDER PHARVPHINVS.

PArte alia graderis, caput insuperabile bello
Fortis Alexander, canos qui uertice toto
Ostentas latè, maiestatemq; uerendam.
Tu præstans animo, medios irrumpere in hostes
Ausus es ante alios, densasq; inuadere turmas,
Acer equo, & pulchram per uulnera quærere famam,
Vix prima teneras tectus lanugine malas,
Dum nostra Adriacæ uastarent arua phalanges,
Et patriam sæua simul obsidione tenerent:
Afflauitq; tuis tum sors pálcidiśsima uotis.
Namq; acies ferro uictrici rumpere dextra
Ipsa dedit, lætos & uicto ex hoste triumphos,
Et quercu & uiridi redimitum tempora lauro
In patriam ferre, & templis imponere diuûm.
Dum quoq; Bondinum uastaret sæuior hostis,
Quid poscat sincera fides, quid uiuida uirtus,
Monstrasti, immani senior non territus hoste.

MESINVS FVRNIVS.

QVis te prætereat, tanto decus addite honori,
Armipotens Furni? Martis generosa propago?
Te nemo

Te nemo auſpicijs egit melioribus agmen,
Hoſtiles ſeu tu claſſes inuadere ferro,
Siue altos ſcalis uelles conſcendere muros,
Obſeſſas ue urbes dubio non Marte tueri.

PAVLVS CONSTABILIS COMES.

ADditur huic pompæ Paulus Mauortius Heros,
Indutus chlamyde aurata, gemmiſq; micante,
Solerti quondam dextra quam Dædala Dirce
Arte laborarat, non parui pignus amoris.
Paulus bellipotens, gladio præſignis, & haſta,
Turpiter haud tergo, ſed forti pectore notus,
Cum fera bella mouet ſuccenſus laudis amore.

ALFONSVS TVRCVS.

HOſce ſequebatur clarus fulgentibus armis,
Et clarus forma, ſatus alto à ſanguine regum
Turcius armipotens: quem dudum (ut fama locuta eſt)
Aſpiciens Cypris galea & thorace decorum,
Accinctumq; enſe, & minitantem prælia dextra,
Eſſe ſuum dixit Martem. ſed caßiſſe dempta, ut
Purpureas uiditq; genas, frontemq; decoram,
Sideribus ſimiles oculos, & labra rubore
Picta nouo, obſtupuit, correptáq; imagine formæ
Credidit ipſa iterum ploratum uiuere Adonin,
Pubentes tectum molli lanugine malas.
Sic gemino, hoc uno, ſenſit ſe exurier igni
Alma Venus, ſecumq; ait: Hac ſi pectora flamma

Vsta forent, poterat nobis hic reddere utrumq;:
Tantus in ore decor, tanta est uis pectore in isto.

ANDREAS ARCHICOMES.

NEc te prætercam, proles clarißima Martis,
Alipede inuectum spiranti naribus ignem,
Euriale, inuicto regi qui pocula misces,
Oppida quiq; regis, quibus indita nomina ab arce,
Sarcæ quam nitidæ decurrens alluit unda:
Vnde fluis, fluctu assurgens, Benace marino.
Tu bello præstans, tu cunctis pulchrior unus,
Excepto ALCIDAE præstanti corpore Regis.

HIPPOLYTVS MALCHIAVELLVS.

NEc Vrbi hic deeras, animi plenißima magni
Pectora qui gestas, ueræ non indiga laudis,
Hippolyti pia cura tui, quem Martius ardor
Excitat, atq; ardens generoso in pectore uirtus,
Insignis genere, & magnis insignior ausis,
Diues opum, & pariter bello metuendus & armis.

HIERONYMVS BRASAVOLVS.

PRoximus his ibat, dignus melioribus astris
Acer Abas, quem belli olim generosa cupido
Incesßit, facie insignem, & florente iuuenta:
Et ni fata forent magnis contraria cœptis,
Hic poterat famam claris extendere factis,
Siue hastam manibus medios ruiturus in hostes
Stringeret, aut duro pugnaret comminus ense.

An

ANTON. GALLVS DOMINVS PONTI.

ET dominus ponti, quo non generosius alter,
Cornipedes agitare manu, cire agmina pugnæ
Audet, siue unctæ sese nudare palestræ,
Exertum'ue ensem dextra uibrare potenti,
Scindere uel densas ingenti robore turmas,
Cum fera tela iacit, furit & sub pectore Mauors.

CAMILLVS TASSONVS COMES.

QVíq; diu nimium properata, heu, funera fleuit
Coniugis egregiæ, prisca de gente Camillus,
Vir pietate grauis, meritisq;, ac prole superbus,
Tunc primum uisus risisse, & prima dedisse
Lætitiæ signa, & finem imposuisse dolori.

HERC. TROTTVS.

ET qui fulmineos uenientes fortiter apros
Aggreditur, quoties minitatur prælia syluis,
Horridus in iaculis, arcuq; insignis eburno
Venator, celeresq; ciet per inhospita ceruos.

SCIPIO BONLEVS.

NEc te transierim, Tyrio spectabilis ostro
Scipiades, uitæ illustris, mentisq; nitore
Conspicuum, multa pariter grauitate uerendum,
Quem natale decus, claræ quem stirpis honores
Nobilitant, & rara fides, & uiuida uirtus.
Tu Ducis in uultum, cognoscens ora parentis,
Lumina desigis, pendesq; à lumine Regis

Totus inexpletum, & tanto perculsus honore
Nescio quid maius credis tunc HERCVLE *magno*
Cernere: sceptrigeri tanta est reuerentia regis,
Atq; decus summum regali à lumine fulgens.

QVALINVS.

HOs inter lectos proceres supereminet alto
Conspiciendus equo, placido gratissimus ore
Marcellus, regi ante alios charissimus unus,
Viq; animoq; potens, nec Martia segnis ad arma
Marcellus, pulcher Marcellus, Mantua tantum
Quo gaudet, nullo ut tantum se iactet alumno.
Hos equitum, simul & peditum lectissimus ordo
Et praeit, & sequitur. Vulgus tum lata uiarum
Strata petit, tectisq; effunditur ipsa iuuentus
Vndiq; uisendi studio, uocesq; per auras
Immittunt, clamantq; ALCIDAE *nomina magni,*
ALCIDEM *ingeminant, strepit altis plausibus aether.*
Interea strepitu resonat perterrita tellus,
Tinnitum ex altis dum turribus aera frequentant,
Et tuba terribilis resonat procul aere canoro,
Et buxi bifores mulcent dulcedine cantus
Aetherias auras, & multisono modulatu
Incurui litui, collucent compita flammis,
Nullaq; moestitiae cernuntur signa per urbem.
Sic ego crediderim quondam duxisse triumphos
Acres Romulidas, cristatis undiq; turmis

Septos,

Septos, & sacra redimitos tempora lauro,
Aurato inuectos curru, cum Martia bella
Gessissent fortes, Italisq; hostilia signa
Afferrent diuis, inimico & sanguine rhædas
Perfusas, galeas, enses, sæuasq; secures,
Et uictas secum traherent longo ordine gentes,
Et captos reges, oneratos colla cathenis,
Lætitia, plausuq; uijs stridentibus ipsis.

ILLVSTRIS FRANCISCVS
Esten, Frater Ducis.

At quantum hic demptū est decoris, dum munere (ab isto
Frater abest, absens externasq; incolit oras,
Et parat egregium, nullum quod deleat æuum,
Ipse tibi nomen, uirtute incensus auita,
Ante annos animum indutus, curasq; uiriles.
O felix princeps, stellis felicibus orte,
Quem Mars bellipotens, & quem Tritonia uirgo
Excitat, ut magnum genitorem grandibus ausis
Aeques, & totum factis audacibus orbem
Sic complere queas, famamq; augere tuorum,
I, precor, i felix quò te felicia ducunt
Numina, & egregijs ne quæso defice cœptis.

FRANCISCVS VILLA
& Marcus Pius.

Multum etiā hinc dempsit præclari absentia Villæ,
Atq; Pij, pariter pietate insignis & armis.

Afforet

Afforet ô utinam tantæ, Dux maxime, uterq;
Ipsorum pompæ, tantum tua gloria, tantum
Cresceret, inuictus quantum uirtute palæstræ
Villa alios superat, quanta & ui fulminat hastam
In clypeum assurgens, turmis cum se arduus infert.
Et quantum grauitate Pius, probitate, fideq;,
Ingenio, & uirtute potest, & munere fandi,
Leniat aut dictis animos, aut suscitet iras.

MATTHEVS CASSELLIVS.

NEc tu, Casselli, magnas ad Thybridis arces
Orator missus, nunc Regis cernere pompam
Hanc poteris, tanto & præsens gaudere triumpho.
Sed tibi sat fuerit, si ut Martis sæpe furores,
Atq; faces belli nostris in finibus unus
Extinxti, in prædam Latias dum uerteret oras
Inclemens hostis, turbaretq; omnia luctu,
Nunc quoq; successu componas cætera læto,
Et nos iam parta semper des pace potiri.
Sed quid ego hoc moneo? quãdo id pia numina spondent,
Farnesij & pietas, (cui summa est credita rerum,
Romani imperijq; decus, mundiq; potestas)
Et fas, atq; pium, nec non & maxima Regis
Ergo illum sincera fides, & cognita uirtus
Iam tua Casselli: Tu contrà audentior ito,
Quò tua te fortuna uocat: tu numen amicum
Deuenerare precor, tibi nam maiora petitis

Farnesius dederit, iustisq; affulserit orsis.
Hinc uoti compos nostras remeabis ad oras
Felix, & læto tua te Ferraria uultu
Accipiet reducem, & tanto pro munere digna
Præmia persoluet, summoq; ornabit honore.
Fortunate senex, semper tua gloria uiuet,
Viuet, & æterno semper celebraberis æuo.

AD PAVLVM III. PONTIficem Maximum.

AT tu, Paule pater, diuûm certissima proles,
Numine sub cuius Saturnia secula terris
E cœlo rediere, & ueræ laudis honores,
Postquam præsidium miseris mortalibus ipse
Te summus superûmq; sator, pariterq; hominum Rex,
Demisit cœlo, quò tu pia munera patris
Aeterni larga dispenses, Maxime, dextra,
Et placidam terris fausto des numine pacem,
Respice præclarum iuuenem belloq;, togaq;,
Respice, quo tandem felix sub numine tanto
In patriam longùm regnet felicibus astris.
Ne quœso, ne uana, Pater, me mitte precari,
Iusta peto, precibus clemens precor annue iustis.
Sic ô sic cuncti reges, discordibus armis
Compositis, ultro pedibus dent oscula sacris.
Sed mea Farnesij dum magnas dicere laudes
Mens agitat, cœpti penè est oblita laboris,

Et sinuosa

Et ſinuoſa dedit ſæuis prope carbaſa uentis,
Auſa maris magni campos tranare liquentes.
Aſt ipſam Phœbus ſuetos intendere curſus,
Et ſolitos ſulcare ſinus, & littora nota,
Atq; iter incœptum iam iam percurrere cogit.
Tempus erit, uictor cum diro Oriente ſubacto,
Excindet Babylona ferox, latosq́; triumphos
In patriam referet, ſpolijs inſignis opimis,
Alta triumphali ſcandens Capitolia curru.
Nunc cœptum me poſcit opus, me regia poſcunt
ALCIDAE *ſceptra,* ALCIDEN *mea carmina dicant.*
Templum auguſtum, ingens, diuis cuſtodibus olim
Quod patres ſtruxere, foro conſurgit ab alto
Sublime; argentoq́; nitens, auroq́; ſuperbum,
Hoſtili ornatum ſpolio, centumq́; columnis
Fultum, in quo centum ſurgunt altaria diuis,
Aeratis lucens trabibus, cui fornice ſummo
Scintilllant ſtellæ, ſimiles cœleſtibus illis,
Queis cœlum rutilat, mediaq́; in nocte niteſcit.
Eſt ipſis locus in templi penetralibus altus,
Quò longis itur gradibus de marmore ſtructis,
Relligione ſacer, maiora altaria diuis.
Hic ſurgunt magnis, magni hic adolentur honores,
Regibus hicq́; omen regale eſt ſumere ſceptrum.
Hic auro ſtratum ſolium lectiſſimus ordo
Compoſuit iuuenum, quo Dis præſentibus ipſe

Dux ca

Dux caperet regale decus, regnumq; paternum.
Ergo ubi totam urbem, tanto comitatus honore
Lustrauit, Principesq; forum regressus ad altum,
Ex celeri descendit equo, mox inclytus alta
Templa pedes petijt: Patrum sacer ordo, Senatus,
Nebride contectus, candenti tegmine regem
Exceptum, placido gressu deducit in ædem,
Et celso locat in solio, dominumq; salutat.

COELIVS CALCAGNINVS.

HIC mihi nūc liceat, quādo id sua munera poscūt,
Et locus, & pietas, Cœli pertingere laudes,
Qua potis ille suo tantum est compræhendere uersu.
Eminet hos inter, nullo non carmine maior,
Cœlius, à claro ducit qui nomina cœlo.
Nec sine mente deûm: namq; ipsi lumina cœli
Noscere, & obscuras rerum cognoscere causas,
Iuppiter ipse dedit, nobisq; arcana deorum
Pandere, & erectas ad sidera tollere mentes.
Cœlius hic ille est, qui siue soluta reponat,
Prouocat Arpinum: seu pectine pulset eburno,
Andiadas æquat felici carmine Musas.
Pectore sub cuius (fas sit mihi uera referre) est
Quicquid Graia dedit, quicquid Romana uetustas,
Verius immò loquar, (quid enim manifesta tacerem?)
Huic decus omne suum cessit stupefacta uetustas.

Hic me, quum primum potuit componere uerba
Lingua rudis, numerosq; leui connectere cantu,
Tunc ignota mihi, docuit percurrere Cynthi
Summa iuga, & lucos lustrare biuerticis umbræ,
Et fessum Aonio dulci recubare sub antro.
Hicq; dedit molles per carmina ducere ludos,
Et tandem Heroum Mauortia dicere gesta.
Quoq; forent sectanda gradu uestigia Tulli,
Ostendit latè, duxitq; ad florida casti
Sermonis prata, & uarios tentare recessus
Edocuit, simul & lectos hinc carpere flores,
Et non fucato contexere serta colore.
Qualiacunq; igitur sunt hæc, quæ carmina pango,
Quæq; soluta loquor, tibi tandem, maxime COELI,
Debeo. Nam sine te quid nunc mea carmina possent?
Sed quamuis laudes, queis nomen ad æthera tollis,
Solæ opus hoc peterent, tamen ipsum dicere Regem
Nunc sequar, incœpto deducens ordine pompam.
Hic igitur socijs, læto hoc simul ordine septus,
Sceptra tenens, solioq; paterno maximus Heros
Augusta grauitate sedens, & uertice toto
Exuperans cunctos, radianti lumine fulget,
Diuinum spirans oculis, numenq; repostum,
Mortali maior forma, tantum instar in ipso est.
Talis erat (liceat nobis mortalia rebus

Aßimilare

Aßimilare deûm) qualis cum iura ministrat,
Est pater omnipotens, superûm cingente corona.

BARTHOLOMAEVS PROSPER
Ducis à secretis.

ECce improuisus ueluti per nubila uectus
Præpetibus pennis, qualis Cyllenius alis
Sese infert terris, Zephyris per inane uocatis,
Ocyor alitibus, medijs in milibus astat
Magni ante ora Ducis, cunctis mirantibus, ille
Prosper, læta ferens Romano à præsule, Prosper
Scandit ouans bijugi qui celsa cacumina montis,
Dignaq́ Musæo meditatur carmina uate,
Et patrum egregias laudes imitatur, & altos
Virtutis sequitur calles, loca peruia paucis.
Curarum Ducis hic custos, fidißimus unus
A teneris hucusq́ fuit, semperq́ erit idem,
Candida dum Parcæ fusis sua stamina ducent.
Hic ut erat multo perfusus corpora limo,
Crura ocreis tectus paribus, crinesq́ galero,
Calcariq́ pedes unctus, contendit ad ipsum
ALCIDEN, fidamq́ illi tunc fatur ad aurem,
Dein spectans ipsum tantis insignibus auctum,
Et celso in solio residentem, Maior imago
Hæc, ait, est hominis. risit Dux optimus olli,
Tunc Ducis è uultu cumularunt gaudia cuncti.

GILLINVS EPISCOPVS.

INterea sacra uelatus ueste sacerdos,
Religione deûm, & multo uenerabilis æuo,
Iampridem doctus ritus, moresq́; sacrorum,
Et summo assuetus pia sacra litare Tonanti,
Et precibus castis iras mulcere deorum,
Diuinis comptus tænis, Phrygiaq́; tiara,
Et geminas cum uoce manus ad sidera tollens,
Sacra canens, tales effudit pectore uoces.
Summe deûm genitor, rerum cui summa potestas,
Sidera cui parent, cui tellus paret, & unda,
Et quodcunq; uiget, cui sunt mortalia curæ:
Et tu uirginei flos illibate pudoris,
Numinis æterni genitrix, spes maxima nobis,
Intemerata parens, nulliq; obnoxia culpæ,
Quam celebrant homines, celebrãt quam numina diuû:
Et uos Dij patrij, quorum sub nomine floret
Vrbs hæc clara uiris, belloq; & fœta triumphis,
Atq; opibus pollens, & pondere diuitis auri,
Queis centum fumant aræ, queis lumina centum
Ignibus assiduis ardent, queis uota feruntur,
Aspicite hunc iuuenem, patriæ cui cura tuendæ
Commissa est, regni magna & moderamina auiti:
Absint urbe doli, fraudes, cædesq́; cruentæ,
Irarum euentus tristes, Martisq́; furores,

Ingenti

Ingenii Europam qui concussere tumultu.
Hic, ô, hic superi, patrij spes unica regni,
Egregiusq; toga iuuenis, belloq; superbus,
Felices annos uiuat, longumq; quietus
Imperium sine fine gerat. iam pellite casus
Infandos, seruate pium. de marmore templa
Maiora his ponet, ueterum de more parentum,
Et pia thura focis, sacrosq; adolebit honores.
Nos uota & templis dabimus, stata sacra quotannis
Soluemus, firmate preces pia numina nostras.
Talibus orabat senior, simul ore fauebant
Astantes cuncti. Tum Iuppiter æthere summo
Demisit signum, quo non præstantius ullum
Vota uirûm firmare potest, spemq; addere rebus.
Clarior ipse etenim medio sol fulsit Olympo,
Vllaq; nec uisa est tum cœlo turbida nubes,
Signa salutiferam nobis spondentia pacem.
Tum solio ALCIDES *lætus consurgit ab alto,*
Et placido repetit gressu regalia tecta.
Huic læto occurrit uultu castißima coniux,
Virginibus stipata suis: ut candida Phœbe,
Nympharum comitata choro, nemora auia lustrat.

DIA RENATA ET
sociæ.

VOs, ô Calliope, fesso succurrite uati,
Pandite nunc Helicona Deæ, uos numine sacro
Inspirate animum. Rerum mihi nascitur ordo.
Namq; nouus Dux ipsa mihi nunc carmine digno est
Dicenda, & sociæ, uobis dignissima diuæ
Materies, tantis libeat succurrere cœptis.
Tu quoq; fida comes Pimplæis addita Musis,
Dia RENATA meis felix allabere uotis,
Tu facilis, mitisq; ueni. Tu quæso canenti
(Namq; tuus te poscit honos, comitumq; tuarum)
Dia faue, atq; libens numeros nunc dirige nostros.
Sic tibi, sicq; uiro longum feliciter unà
Viuere contingat, regnoq; & pace potiri.

ANNA PARTHENIA
Domina Ponti.

HAs inter comites, nullo fucata colore,
Læta oculis, auro fuluos redimita capillos,
Pendula cui medijs splendescit gemma papillis,
Nobilis Anna nites, cunctis præstantior una
Parthenia, es tædas quæ sola experta iugales,
Digno iuncta uiro, nondum perpessa labores
Lucinæ, nec facta parens, dignissima cœlo
Progenies, castis specimen uenerabile amoris,
Cui doctæ assurgunt modulanti carmine Musæ.

O felix

O felix nimium, Nymphaq; beatior omni,
Non te donauit frustra Parnaside lauro
Phœbus, nec frustra afflauit tibi numine pectus.
Tu cantu syluasq; trahis, tu flumina sistis,
Et tua perpetuæ commendans nomina famæ,
Demulces dulci radiantia sidera cantu,
Dulcia felici concordans carmina plectro.

LEONARDA ESTEN.

EVlalieq; Duci consanguinitate propinqua,
Cui lætos oculis afflauit Cypris honores,
Deliciæ Charitum, cuius per lumina blandus
Perq; genas lasciuit Amor, noua cura Mineruæ,
Quam decus omne iuuat, castæ & reuerentia famæ,
Attollit lætos oculos, faciemq; serenam,
Et Regis mirata decus, numenq; repostum,
Tum demum gaudet se tanto è sanguine natam.

RENATA PARTHENIA.

HIs aderat, Gallæ decus admirabile gentis,
Par Veneri specie, et tenero maturior æuo,
Parthenia, à dominæ ducit quæ nomine nomen,
Crinibus auratis præstans, quos aurea circum
Fibula subnectit, radiantibus aspera hyacinthis:
Pingere acu doctas inter doctissima matres,
Marmoreaq; manu uiuas animare figuras,

Dum varias fingit deducto in stamine formas,
Et tenues telas distinguit murice & auro:
Aonium tentare nemus, lymphasq́; fluentes
Permeßi haurire, & magna cum laude sueta,
Et Phœbo dare uota libens, & tangere plectrum,
Et dulcem captare chelym, citharamq́; sonoram,
Et tenues docto percurrere pollice chordas,
Casta renidenti circundata tempora lauro.

MARIA NOIANDA.

ET Galatea, nouo uincit quæ lumine Phœbum,
Quæ potis est oculis cœlo deducere diuos,
Digna Iouis thalamo, pulchram quam sæpe Cupido
Esse putat Cyprin, præbet cui sæpe pharetram,
Tela facesq́; simul, sinuatum & cornibus arcum,
Queis ferit illa uiros, queis urit saucia corda.
O fortunatus nimium, quem iungere tæda
Deliget ipsa sibi, lectiq́; in parte locabit.

HIPPOLYTA MVTI nensis.

AFfuit Hippolyte, præstanti munere diues,
Quod dux Vrbinas, correptus imagine formæ,
Guidus Vbaldus *Esse dedit nymphæ monumentum, & pignus amoris.*
Hoc dux cum ualidis pridem concurreret hastis,
Atq; duces inter primos meruisset honores,

Donari meruit sublimi munere uictor.

ISSABELLA MVTINEN.

POnè sequebatur Tritonidos arte superba,
Candida Leucothoë, casto quæ è pectore spirat
Blanditias, Veneresq; omnes, pariterq; liquorem
Afflat Acidalium, quo flammas temperat acres,
Quas oculis iacit, & cupidos queis urit amantes.

DIANA ARIOSTA.

NEC tu carminibus nostris indicta Diana,
Pectore sub tenero cui mens est uirgine maior,
Clara parente tuo, & casta clarissima matre,
Cura deûm uirgo, innuptæq; simillima Phœbæ,
Inter formosas nymphas pulcherrima, abires:
Quam tot diuino celebrarunt ore poetæ,
Vt te iam fama Bætis cognoscat, & Indus,
Quos inter tenuis tenui te carmine dixi,
Ni decus immensum, laudum seriesq; tuarum,
Longius à cœpto traherent: te carmina nostra
Forte aliàs, mea cura, canent. nunc dicere uersu
Reginam propero, uellens quæ leniter aurem
Me uocat, atq; monet cœptum deducere carmen.
Nanq; ego si tentem cunctarum dicere formam
Reginæ comitum, laudesq; æquare canendo,
Non opus hoc sat erit. Quis enim tot munera mentis,

Tot raras animi dotes, tot lumina clara
Explicet, & breuibus ſperet compræhendere dictis?

DIA RENATA
Princeps.

SIC igitur Regina choro comitata pudico,
Clara oculis, clara ingenio, clariſsima forma,
Quam dextrà comitatur Amor, Cyprisq́; ſiniſtra,
Et Decor, & Charites, rarus cui fulget ab ore
Maieſtatis honos, atq; altæ mentis imago,
Et Pudor, & placido comitata Modeſtia faſtu,
Hac inter ſocias fulgenti luce coruſcat,
Emicat ut ſtellas cœlo inter Luna minores.
Hæc tereti geſtans baccata monilia collo,
Fulua auro, & uarijs late radiantia gemmis,
Ambroſia perfuſa comas, & rore Sabæo,
Regali induta ornatu (quem Palladis arte
Ambitioſa manus, uel Pallade doctior ipſa,
Textilibus filis, fuluoq́; intexerat auro,
Ductaq́; Erythræis uariarat fila lapillis,
Tethyos è gremio lectis, uiridiq́; ſmaragdo)
Non lachrymans, triſti ue irrorans pectora fletu,
Vt ſoceri in letho. Sed talis læta ſereno
Excipit ore uirum, qualis cum Phoſphorus atras
Euicit nubes, cœlo ſcintillat aperto,
Vel quali amplexu Iuno Saturnia magnum

Eſt com-

Est complexa Iouem, cœlestia sceptra gerentem,
Tali diuino splendens pulcherrima honore.
Excepit Dux ipsa Ducem. Tum gaudia pectus
Amborum tentant, figuntq; in pectore uultus,
Lumina luminibusq; hærent, atq; alter ab ore
Alterius pendet, tacito & sermone loquuntur,
Et dextræ iungunt dextram. Tum maximus Heros
Regalem ad thalamum tendit, præeuntibus ipsi,

ANNA ET ALFONSVS Ducis filij.

Alfonso atq; Anna, natis. hanc esse putares
Auroram, cœlo rosea ceruice nitentem,
Illum Luciferum, claro qui lumine cœlum
Irradiat, nondum præbente crepuscula Phœbo,
Amborum egregio tantum decus enitet ore.
Vt uero ad Pario *constructa è marmore tecta*
Est uentum, argentoq; auroq; nitentia late.
Regificis compta aulæis, ostroq; rubenti,
Atq; omnes pariter regali basia dextræ
Fixerunt thalamo in medio, mirabile dictu,
Cunctorum quæ facta trahunt uentura sorores
Concordi hæc una cecinerunt carmina uoce.
Salue cura deûm, salue fortißime regum,
Scipiadas referens factis, & laude Camillos,

Quem

Quam bene conueniunt, Princeps, tibi nomina magni
Alcidæ, qui monstra fugas, scelerumq; ministros.
O lux Ausoniæ, spes ô fidißima gentis
Salue, & præsidium regni, columenq; paterni,
Gentis Atestinæ specimen. Tibi candida semper
Pax aderit, magnorum aderunt pia numina diuûm.
Nec belli terrere minis: namq; ira deorum
Concessit procul, & colubris implexa Megæra,
Bella manu pridem intentans, cædesq; cruentas,
Iam loca senta situ, Lethæasq; incolit oras,
Clausáq; bifrontis sunt ferrea limina Iani.
Hic centum uincti nodis, centumq; cathenis
Et Furor, & Lethum simul, & furialis Enyo,
Ore fremunt, oculos suffecti sanguine, & igni.
Otia semper erunt, patrijsq; uigebit in oris
Læta quies, aberuntq; doli, fraudesq; nocentum.
Hicq; dies populo felix, patribusq; beatus
Semper erit, nulloq; unquam delebitur æuo:
Sidere quo fausto subijsti pondera regni,
Tu felix uiues: tibi seruiet ultima tellus,
Hæc eademq; manent uenturos fata nepotes.
Te circumsiliet gemmatis Gloria pennis,
Astabunt Charitesq; tibi, Pallasq; Venusq;,
Gradiuusq; pater, simul & crinitus Apollo,
Iuppiter atq; tuis afflabit leniter ausis,
Aeternumq;

Aeternumq; tibi tradet post funera nomen
Candida fama, tuæ uiuent per secula laudes.
Et pia sacra, quibus semper celebrere quotannis,
Vrbs hæc instituet, diuûm & decorabit honore.
Eridanusq; tuus supra septemplicis ora
Vndantis latè Nili, lateq; fluentes
Indumq; & Gangen, fontemq; binominis Istri,
Attollet sese, redimitus tempora fronde
Populea, Duce te nomenq; ad sidera tollet.
O fortunatos nimium, nimiumq; beatos,
Queis pater ipse deûm, queis & pia fata dedere
Imperijs parêre tuis, Rex optime Regum,
Quem miræ exemplum uirtutis misit ab alto
Rex superûm cœlo, mundum ut caligine densa
Obsessum eriperes tandem crudelibus umbris.
Te Duce cana Fides, Pietas, & quicquid honoris
Esse potest, terris aderit, fugientq; malorum
Flagitia, & sceleris fugient contagia prisci,
Reddetur Latio imperium, rediuiua resurget
Ausoniæ penè exanguis iam gloria gentis.
Hæc ubi concordi cecinerunt numine Parcæ,
Egressæ thalamo, tenues abiere per auras,
Ambrosio & tecta implerunt regalia odore.
Ergo age summe Ducũ, postq̃ hæc tibi fata benigna
Omnia portendunt, placido & tibi Gratia uultu
Arridet,

Arridet, uotisq́; tuis Fortuna secunda est,
Fac, precor, hæc nobis firmet tua maxima uirtus;
Virtus, quæ iugi faciet te uiuere fama.
Sis bonus ô felixq́; tuis, regniq́; paterni
Commoda defendas, & quæ facis, otia serues.
Omnis spes in te nostra inclinata recumbit,
Tuq́; salus nobis, columen, tu gaudia nostri;
Tu dominus patriæq́; pater, requiesq́; laborum.
Virtutes namq; in te omnes splendescere cuncti
Cernimus, & magnos tua facta imitantia patres
Hoc fore promittunt, hoc spondent numina diuûm,
Numina, quæ euentus lætos, atq; aurea ducunt
Secula magna tibi, tanto pòst tempore uisa.
Et si quid de te merui, si pectora quicquam
Fida tibi possunt, & mens sibi conscia recti,
Magnaq́; si insontes respectant numina regum,
Nunc me, quem toties fortuna inimica secuta est,
Et toties tantis iactauit dira procellis,
Respice, & immerito finem concede labori,
Quo tandem sub te uita meliore quiescam.

PERORATIO.

HOS tibi summe Ducum numeros, hæc sceptra ca
Cũ tua te aspiceret læto Ferraria uultu, (nebã,
Gestantem dextra magni moderamina regni,
Forte aliàs tua facta canam grauiore cothurno.

Nunc ò, nunc tantum, tibi quæ prælusimus, ore
Accipias placido, et uatis, precor, annue cœptis,
Vatis, qui iam te, ceu magnum numen adorat.

FINIS.

IN LIVOREM.

Liuor tabifico qui mordes carmina morsu,
Quæ magni ALCIDAE *sceptra uerenda canunt,*
Iam dentes, iam conde miser, nihil hic tua possunt
Vulnera, nam ALCIDA *uindice tutus eo.*

COELIVS CALCAGNINVS.

Quod cultum carmen, quod doctas impleat aures,
Quod secum multum numinis esse probet,
HERCVLEI *auspicia imperij quod flumine largo*
Explicet, & plebis mixtaq; uota patrum,
Laus Gyralde tua est. Tibi enim fas prodere, quantum
Lætitiæ populis attulit una dies.
At mihi adhuc dubium est, hæc an tibi debita laus sit,
An potius raræ debita materiæ.

LIL. GREG. GYRALDVS.

Desine mirari Pisandri carmina Lector,
Qui clauam Alcidæ, fictaq; monstra dedit,
Cynthius en nostri canit HERCVLIS *aurea sceptra,*
I modò, quàm ueris ficta minora uide.

FLAVIVS

FLAVIVS ANTONIVS GYRALdus ad D. Herculem Esten.

QVEM *fueris nactus uatem, tibi quilibet alter,*
Me de fratre uetat dicere plura pudor.
Coniice tu tamen, ipsi quàm sit largus Apollo,
Hunc est dignatus nomen habere suum.
Materiam præbet numeris Tirynthius Heros,
Sed tu materia carmina digna facis.
Illi tu debes, tibi debet nec minus ille,
Altera in alterius gloria maior inest.

L. G. G. IN D. A. DEtractorem.

MAE*onidæ oblitus, carpit dum carmina* Cynthi
Zoilus, elinguis sidere factus abit.

LILIVS GREGORIVS Gyraldus.

I *Liuor procul, i procul, monemus,*
Prædico laqueum tibi paratum:
Non unum Genium hic habet libellus,
Victurus Pylios beatus annos:
Cantor Cynthius, Herculesq; carmen,
Et Phœbi est lyra temperata neruis.
Prædixi, laqueus tibi paratus.

CYN-

CYNTHIVS GYRALDVS
candido Lectori.



ON eram nescius, Lector optime, cum D. ALFONSI ESTEN. obitum, bonis sanè omnibus acerbum, deplorarem, & HERCVLEI imperij auspicia carminibus canerem, fore ut hic noster labor multorum reprehensiones incurreret. Quidam enim, qui omnia quæ ipsi nesciunt, impudenter damnant, id mihi uitio uertũt, quod ego iampridem inter altiores disciplinas ascitus, nunc demum poëticæ penè nunquam aliàs à me tentatæ animũ apulerim: hocq; homine physico, si Dis placet, indignum ducunt. Quidam autem non hoc tantũ, sed meam in Regis proceribus enumerandis diligentiã damnant. Nonnulli ob id nos arguunt, quod linguæ Latinæ rationẽ non habuerim, cum horũ aliquos barbaris nominibus, ipsis inditis, nominarim. Nec desunt, qui operis longitudinem accusent, dicantq; nos longè paucioribus Regis nostri sceptra potuisse complecti. Et licet me non lateat, apud integri iudi

cij uiros (non enim sciolis hisce, qui uno aut altero epigrammate, & illo quidem insulso, ab ipsis composito, se summum artis poëticæ apicem attigisse sibi persuadent, hæc scripsimus) me nullam ob hoc notam subijsse: tamen his omnibus respondere, operæpretium fore iudicaui. Hi ergo qui me à poëticæ studio, quia Medicinam profitear, deterrere conantur, parum nouisse uidentur cur Phœbo & medendi peritiam, & poëtices artem antiquitas dederit. Nam si rem hanc maturius inspexissent, mihi sanè longè æquiores fuissent. ipsis enim palàm esset, nihil esse quod hominem medicũ magis deceat, quàm in sacris Musarum penetralibus assiduè uersari: & medicinam, unà cum poëtices arte, quas isti aduersis frontibus pugnare existimant, cõiungere. In quam sententiam diuinus ille propemodum artis medicæ professor Galenus, manib. pedibusq; descendisse uisus est, qui pharmacorum compositiones, ut errores magis præcauerẽtur, carminibus describendas præcepit. quod à medico artis poëticæ prorsus ignaro haud fieri poterit. Illud & ipsum artis poëticæ studio ualde delectatum

ctatum ostendit, quod nonnullorum ille uersus, & commemorat, & interdum exponit. Nec desunt temporibus nostris, ut antiquis etiam non defuerunt, qui & poëticam & medendi rationem adeò egregiè coniunxerunt, ut in utra pręstent difficile sit cognitu. Quorũ nomina recensere, ut facillimum, ita superuacuum esset. Non sim mortalium omniũ insanissimus, si eam artem, quã summi omnes omnium seculorum artis medicæ professores tanti fecerũt, ego despiciam? Sed de his hactenus. Iis uero, qui diligentiã meã incusant, facile crederẽ, ni illam ipsam à plerisq; desiderari cognoscerem. Non enim parum multi sunt, qui sese prætermissos ægerrime ferant. Quid enim mihi in hisce angustijs constituto faciundum erat, quo culpa uacarem? si ab ijs incusor, quia quosdam recensui, ab istis uero incessor, quia ipsos pretermisi. Verũ (utcunq; res cesserit) ego Iouem lapidem iurarim, me si id res tulisset, longè plures recensurũ fuisse, ut omnibus factum esset satis. Sed postquam hoc mihi integrum non fuit, nõ ob id tamen alicuius gloriæ tantum inuideo, quod cuiquam prohibeã, quin

eum se arbitretur, quem laudibus extulerim (modo ex rudibus hisce carminibus meis ali cui facta sit aliqua laudis accessio) & eas pro arbitrio laudes sibi arroget, quas magis optarit. Non enim illos tantum, quos comme moraui sed nobiles omnes, sub illorũ nominibus cõplecti mihi animus fuit. Quod uero me à linguę Latinæ penetralib. arceãt, quòd quosdam barbaro nomine ipsorũ proprio uocarim, iniquè agũt. nam si aliquis hanc no tam subire debet, non ego sanè, sed qui ipsis ea nomina indiderũt, accusandi sunt. Potuissem planè illos, ut reliquos etiam, fictis nominib. appellare: erat enim id mihi factu promptissimum. Sed quando à barbaris nominibus, cũ id res postulauit, Vergilius poëtarum omnium parens non abstinuit, quid ego uereri debueram Maronis nostri uestigia sectari: cum quo planè aberrare, quàm cum his rectè sentire, satius ducerem. Euoluant hi Vergilianæ Aeneidos monumenta, & ni penitus conniueant, mihi longè æquiores erunt. Qui uero me prolixitatis arguũt, his facile dixerim, me nemini occupato, sed ociosis hæc scripsisse, neq; nolentem quempiã ad hæc lectitan-

ctitanda uocare. Quanquã cur hi hanc eandem notam Vergilio inurendam non censeant, non agnosco, qui rem, quam duodecim carminibus nõnulli complexi sunt, duodecim ipse uoluminibus explicauerit. Sed iam tempus est ut receptui canamus. Tuæ partes erunt Lector optime, & his & cæteris omnibus, quæ mihi detractores obiecerint, occurrere: quo & Gyraldi tui famę consultum sit, & ipsi ad alia edenda uires animumq́; suppedites. Vale, quisquis es, diu felix.

CYNTHIVS IOANNES BAP.
Gyraldus D. Herculi Esten. II.
Duci illustriss.

BAlsama, thura, crocum, tradant & grandia dona,
Queis nitet Attalica conditione domus.
Do tibi populeas frondes, syluasq́; uirentes,
ALCIDE, inculti munera parua soli.
Parua tamen magni non spernunt munera Reges,
Parua etiam magno munera grata Ioui.
Tu cape dona libens, dantis simul accipe mentem,
Sic tibi erunt parua hæc balsama, thura, crocum.

CYNTHII IOANNIS BAP. GYRALDI SYLuarum Liber.

DE LILII GREGORII GYRALdi in patriam reditu.



N Tandem precibus tantis, uotisq́; petitus
Lilius, & multos pridem exoptatus in annos,
Post terræ pelagiq́; minas, post funera amicûm,
Et uarios casus, patriæ regressus ad oras
In proprios rediitq́; lares, urbiq́; decorem
Reddidit amissum, magnis uirtutibus auctus.
Quare agite ô iuuenes, uobis si gloria cordi est,
Si Phœbi sacris haurire è fontibus undas,
Huc properate citi, gressus huc uertite uestros,
Languentemq́; senem, confectum & uiribus, omnes
Excipite unanimes læti, fessumq́; locate
Sedibus in notis, pariterq́; assurgite cuncti
Egregio uati, Musæ cui lilia plenis
Dant calathis, uiridi cui cingunt tempora lauro:
Hic uos ô iuuenes, ducet per amœna locorum
Aonii nemoris, Cynthi & secreta docebit

Florida prata ſequi, uatum delubra priorum.
Ipſi nam puero ſua munera Phœbus Apollo
Tradidit, ut tandem ueteri ſquallore ſituq;
Deterſo, obſeſſas ſcabra rubigine mentes
Tergeret, & uates ſublimi ornaret honore.
Fælix ô nimium felix, cui numen amicum
Fuerit, ut tanti uatis ueſtigia firmo
Sectari ſedeat greſſu, uirtutis amore
Succenſus, ſociosq; omnes iuga ad alta uocare.
O *mihi ſi liceat Lili, certißima Phœbi*
Cura, decus uatum, geminæ & lux unica linguæ,
Cyraldæ & gentis ſpecimen, ſuper ardua rupis.
Te loca ſectari ſacræ, ſyluasq; repoſtas
Ingredi, & Aonias *in carmina ducere Muſas,*
Qua te uoce canam? Nam quamuis gloria Lili,
Nil tua me creſcat, noſtræ non indiga laudis,
(Et quis tot ſperet dotes æquare canendo,
Carminibus ue tibi quicquam ſuperaddere honoris?)
Ipſe tamen (tenues ni dedignere camœnas)
Inſignem uirtute animum, laudesq; repoſtas
Tentabo, nomenq; tuum contexere chartis.
Te uero, uenerande ſenex, ſi pectore toto
Accepi, tua ſi colui ueſtigia ſemper,
Reſpice me quœſo, pater optime, reſpice, iamq;
Pierios duc me ad latices, Phœbiq; receſſus,
 Vt tandem

Vt tandem sacris immixtus & ipse poëtis
Me quoq; tollere humo, claræ & mea nomina famæ
Commendare queam, nullum quæ deleat æuum.

ARTVSII, HERCVLIS Esten. uenatorij canis funus.

TV'ne Artuse ferox, post funera mille luporum,
Post tot confectos ursos, post cæsa ferarum
Corpora, sic ô sic tu funere concidis atro?
Demisere neci sic te crudelia fata,
Delicias domini, & nemorum memorabile fulmen.
Tu tamẽ ipse cadens mõstras quàm maxima uirtus,
Quæ tibi uis animi fuerit, quamq; ora tremenda,
Et uirtute tua morti te subtrahis atræ.
Sic non te indecorem, non te uirtutis egentem
Sors inuisa mihi rapuit, nec uulnere turpi
Pectus hiat, sanguis'ue fluit de corpore inultus.
Nam tecum fera sæua cadit, & sanguine lethum
Cæsa piat, moriensq; suo dat funere pœnas.
Chare Artuse uale, quo non præstantior alter,
Aut cursu superare alios, aut sternere dente,
Blandior haud unquam domino'ue fidelior ullus:
Tu decus ipse canum, te gloria magna sequetur,
Te eripient letho uates, tibi nomina tradent
Aeterna, & referent omnes tua nomina saltus,

Venantesq; tuo ponent pia iusta sepulchro,
Ipse ego quod uiridi pono sub tegmine quercus.
Quin tibi sublimi hac pendebit ab arbore millus,
Fasciaq;, & uincla, & ceruix, & tergora saeui
Hac dextra tandem caesi crudeliter hostis,
Mœrentis domini & ueri monumenta doloris,
Virtutisq; tuae, nullo delebilis aeuo.
Sed si qua est syluis pietas, si gratia fido
Est referenda cani, nec campis gloria desit,
Vos Nymphae nemorum, uos & pia numina Fauni,
Huc properate precor, funusq; ornate corollis,
Aeterna & uerae concedite praemia laudi.

EIVSDEM EPICEDION.

ILle ingens nemorum fulmen, stragesq; ferarum,
Occidit Artusus, uulnere caesus apri.
Namq; is degeneres dum spernit sternere damas,
Vimq; suam gestit prodere Marte fero,
Vt primum uidit frendentem dentibus aprum,
Indo aequum Barro dentibus, ore trucem,
Extulit ipse caput, laetusq; ad praelia tendit,
Quae formidabat caetera turba canum.
Atq; prior uastum uelox se immittit in hostem,
Circuit huncq; sagax, hunc petit ore leui.
Hinc aper excitus, sese collegit in arma,
Et frendet nullo uulnere fossus adhuc.

At simul Artusus transfixit tergora morsu,
Exilijtq; cruor, preßit & ossa dolor,
Falcatos acuit dentes, & fertur in hostem
Acrior, & flammas naribus, ore uomit.
Fulmineumq; rotat rictum: sed fida Molosso
Addit uim uirtus, nec timet ora suis.
Quoq; hostem cernit maiora in bella ruentem,
Hoc magis ipse instat, hoc magis urget aprum.
Nec mora, iam læuum saliens se immitit in armum,
Dentibus aduersum ne premat ira suis.
Acer & ipse feram nunc huc, nunc uoluit & illuc,
Hinc mordet tergus, mordet & inde latus.
Sæuus aper resides uiolentior excitat iras,
Sæuaq; lethali prælia dente parat.
Dumq; ferox sæuit, dum corpora uersat in orbem,
Excutere & tergo quæritat usq; canem.
Heu, heu fulmineo rupit præcordia dente
Artuso, atq; solo uiscera lapsa fluunt.
Herculeamq; miser prospectat lumine dextram,
Conscius hic quantum polleat illa manus.
Vt uero ALIDES, fulmen memorabile Martis,
Exanguis uidit tristia fata canis,
Ingemuit, casuq; simul perculsus iniquo,
Alipedem stimulis terq; quaterq; premit.
Nunquam fide canis, dixit, morieris inulte,

Soluet,

Soluet & inferias iam tibi cæsus aper.
Horrendamq́; gemens ualido subit impete molem,
Transadigitq́; hasta uiscera magna suis.
Infrendet tum toruus aper, spumasq́; cruentas
Euomit, & fœdo sanguine turpat humum.
Intorquetq́; caput, prænsansq́; hastile remordet,
Instantem satagens ui superare necem.
Sed pius ALCIDES geminatis ictibus instat,
Et monstrum forti conficit ipse manu.
Mugitu nemus omne replet, uastamq́; ruinam
Dat moriens iam iam bellua strata solo.
Ast aprum ut cernit multa tellure iacentem
ALCIDES, celeri desilit acer equo.
Horrificumq́; feræ fuluo caput amputat ense,
Abscissumq́; tibi fide Molosse dicat.
Teq́; sua attrectat dextra, mortiq́; sua ne
Exanguem poßit demere tentat ope.
Ast ubi te uidit tendentem ad limina mortis,
Præsidijsq́; nihil iam superesse loci,
Siccine te, dixit, sylua celeberrime in omni,
Atq; mei custos, abstulit hora breuis?
Et longum ingemuit: sed postquam uincere fata
Non possum, dixit, sit tibi terra leuis.
Spargat odorato uenator flore sepulchrum,
Crescat & ad tumulos spica Cilissa tuos.

Quæ de-

Quæ deerunt uitæ, præstabunt tempora famæ
Vates carminibus, chare Molosse, suis.
Tum canis assultans uictori applaudit, & hoste
Iam cæso, lætus fata suprema subit.
Nec secus ac domino uellet persoluere grates,
Soluisset busto quod pia iusta suo.
Qua licet usq; oculis moriens languentibus illum
Conspicit, & placida morte quieuit humi.

DE PAVLO III. PONT. MAX.

SI quando curæ ingentes, & sæua nocentum
Flagitia, heu, miseros pressere, atq; horrida bella,
Bella tot egregias Latij grassata per urbes,
Concussere animos nobis, atq; omnia luctu
Impleuere nouo, turbaruntq́; otia nostra,
Nunc quando omnipotens, summi regnator olympi,
FARNESIO magnas orbis concessit habenas,
FARNESIO, sacro fultus qui nomine Pauli,
Vel solus reserare fores, uel claudere solus
Aeternas cœli posset, uel parcere sonti,
Complectiq́; pios, & sæuos tradere pœnis:
Sumamus uires, lætum Pæana canentes,
Atq; omnes læti numen ueneremur amicum.
Iam nobis pax alma redit, totumq́; per orbem
Cernere iustitiam est, uirtutum & semina late
FARNESIVS fundit, magnas qui Thybridis arces

Possidet,

Poßidet, incurſusq́; feros, & triſtia bella
Italia expellit, famam qui terminat aſtris,
Fasq́; piumq́; colit, monſtra & crudelia uincit,
Et fœdas peſtes ſacris detrudit ab aris
Numinis æterni, fœdo quæ crimine tantas
Infecere animas, & CHRISTI nomina ſeruat
Intacta, & ſceleris delet monumenta profani.
Iam uenit illa dies, qua cœlo mittitur alto
Aurea ſeclorum ſeries, uiget ecce per orbem
Criminibus longè lateq́; Aſtræa fugatis,
Et ſociæ, demum tanto pòſt tempore uiſæ.
Salue ſumme Pater, mundi ſpes unica ſalue,
Atq; gregis noſtri cuſtos, decus addite terris,
Macte animo, macte & uirtute, & munere laudum,
Cura deûm, cui pax ridet, cui gloria plaudit,
Pontificale decus: ueras tu numinis aras,
Tu cape diuinos, tibi quos largitur honores
Regnator ſuperûm, celſa tu in ſede locatus
Tergeminumq́; decus cœleſtis ſume tiaræ:
Accipe, quæ tibi dat ſacræ moderamina puppis,
Diſiectamq́; ratem, tantis, heu, fluctibus actam,
Duc Pater ad portus, & denſas diſijce nubes,
Quæ ueras pelagi ſtellas, quæ lumina cœli
Occuluere diu, & denſa caligine mentes
Implerunt noſtras, iam mille erroribus actas,

Da pacem

Da pacem terris, propius res aspice nostras,
Namq; potes, grata & nobis pater otia serua.
Inuictumq; Ducem, cuius sub numine læti
Viuimus, ALFONSVM, fama super æthera notum,
Auspicijs tutare tuis, tibi seq;, suosq;
Hic offert natos, ipsa & moderamina regni.
ALCIDEN uero iuuenem, cui pectus Apollo
Numine compleuit, Pallas cui tradidit artes
Ipsa suas, belli atq; togæ cui gloria summa est,
Diue foue, & iustis clemens, precor, annue uotis.

AD ILLVST. VICTORIAM Piscariæ Dominam.

QVAE modò deslesti longùm lachrymabile funus
Coniugis egregij, quo non generosius ullus
Duxit cristatas in Martia bella phalanges,
Nunc ubi nulla ualent reuocare ad limina uitæ
Amissum DAVALVM lugubria carmina, & ipsum
Sidereos inter cœtus, animasq; beatas
Nouisti æternam cœlo traducere uitam,
Et cinctum radijs, & multa luce coruscum,
Ad superos post se te clara uoce uocantem:
Tu te oblita hominem, diuini numinis haustu,
Despexti mundi (uitæ melioris amore)
Lethales nimium fastus, & diuitis auri
Pondera, fortunasq;, & regni sceptra mariti:

Aspernata procos omnes, omnesq; hymenæos,
Firma uiro pactum semper seruare pudorem
Supremos usq; ad cineres, & uiuere paruo.
Exuis & Tyrio saturatas murice uestes,
Intextasq; auro, gemmasq; sinusq; crepantes,
Arte laboratos, non uilia dona Mineruæ.
Nec non & tereti baccata monilia collo
Detrahis: inq; uices horum uelamina nigra
Induis, & nigros habitus, cultusq; seueros,
Queis præclara tegis neglectæ munera formæ,
Cordis certa tui atq; animi monumenta pudici.
Et claros demissa oculos, frontemq; serenam,
Mente colis, totoq; gemens nunc pectore poscis
Affixumq; cruci, & traiectum pectora ferro
Aeternum natum, magnum ætheris incrementum.
Quem grauidam uirgo felix excepit in aluum,
Et peperit (mirum) sine ui, sine labe pudoris.
Huncq; Deum pariterq; canis, fortemq; piumq;
Euersorem Erebi, qui æternæ limina uitæ
Reclusit nobis, & sæui colla draconis
Squammigeri, horrendi, informis, capita alta ferentis,
(Qui quondam pulchræ mentitus uirginis ora,
Decepit primos pellaci uoce parentes:
Impulit & miseros pactas infringere leges:
Quorum nos seri luimus commissa nepotes.)

Pressit

Preßit ouans, ſuperas tandemq́; euexit ad auras
Illuſtres animas imis de faucibus orci.
Et mortem uicit, pendens dum ſtipite ab alto
Exanimis clauſit triſtis nigra limina lethi,
Inferni uictor populatus regna tyranni.
Dein canis & matrem, tam raro pignore dignam,
Felicem nimium matrem, dum pectore fouit
Virgineo natum: ſed qua non triſtior ulla
Tunc fuit, ut uidit nati miſerabile funus:
Indignum, heu, nimium, nimium miſerabile funus,
Transfixosq́; pedes clauis, & pectora ferro
Traiecta (heu facinus) nigro & rorantia tabo
Ora, manusq́; ambas. cui tu, miſerata dolentem,
Te te addis ſociam, crudeli in funere nati,
Luminibus lachrymas fundens, & pectore queſtus.
Moxq́; amplexa crucem, duro das oſcula ligno,
Vtq́; tuo figat cordi ſua uulnera poſcis
Omnipotens natus, ſummi mens certa parentis.
Felix, quæ blandos uitæ mortalis honores,
Et mundi illecebras potuiſti linquere inanes,
Et cæcas hominum curas, & mentis ab arce
Deſpicere errantes, quantumq́; in rebus inane eſt:
Deliciasq́; æui, ſimul & cognoſcere uera
Dona Dei, atq; uiam palantis quærere uitæ,
Has inter tenebras, cœli & penetrare receſſus
Mente

Mente pia, atq; animo superûm commercia habere,
Sorte tua maior, iam te sublimior ipsa.
O utinam talis tecum me exureret ardor.
Sed paucis datur hoc: neq; enim sine numine cœli hæc
Eueniunt nobis. Tu sacri flaminis igne
Acta diu, tu plena Deo, VICTORIA, gressus
I sequere incœptos, ut mors cum soluerit artus
Informi è limo genitos, moribundáq; membra,
Eumenidum fugias thalamos, regna inuia luci,
Pallentes Erebiq; domos, & numine septa
Tartareas uincas pestes, & robore firmo
Vltrices pellas Furias, fera numina Auerni,
Et Sphingas superes, & terribiles Harpyias,
Tergeminumq; canem, tortosq; Ixionis orbes,
Victrix, & parto deuicto ex hoste triumpho,
Immortalem animam mundam omni à crimine culpæ
Des summo genitori, ipsoq;, & coniuge tandem
Aeternùm ualeas æterna in pace potiri,
Qua dudum coniux fruitur, semperq; fruetur.

ORAT DEVM OPT. MAX. VT SE ab imminenti huius uitæ naufragio incolumem seruet.

ERgò procellosi semper uis effera ponti
Iactabit cinctam tenebris, & nocte profunda,

Obsessam puppim, tot sæuis fluctibus actam?
Ergo mihi nunquam radiantia sidera cœli
Cernere erit, tuto'ue unquam consistere portu?
An blando cantu Sirenum, gurgite in alto
Infames trahar ad scopulos? ubi naufraga puppis
Lethalem accipiat laxis compagibus undam?
An me Scylla uorax latrantibus horrida monstris
Hauriet? aut nauim rapiet metuenda Charybdis?
An medio forsan pascent mea membra profundo
Et phocæ horribiles, & fluctiuagæ balenæ,
Neptuni armenta, & pelagi crudelia monstra?
Hei mihi, quis dederit sæuas superare procellas?
Turbida sunt fluctu uada salsa, & nubibus aër
Turbidus, horrescunt cæcis salis æquora nimbis,
Inq; ratem magni montes uoluntur aquarum,
Iamq; notus spirat, spirat uiolentior Eurus,
Et Zephyrus pelago insultat stridentibus alis,
Irruit & Boreas, fretaq; indignantia uertit
Acrius, increpitat crebrisq; tonitribus æther,
Dum micat igne polus, densa in caligine noctis:
Concitaq; unda Noto, nunc alta ad sidera tollit,
Nunc prærupta ruens fert ima ad tartara puppim.
Et fera sæuit hyems: nec iam subducere uela
Prodest, uel tumidos remis impellere fluctus.
Iamq; ratis regimen nutat, diuulsaq; transtra
Franguntur,

Franguntur, crebroq; labat iam turbine malus.
Plurima præq; oculis uersatur mortis imago:
Nec spes ulla artis superest. Non si quoq; Typhis
Quassatum subeat clauum, reliqua ulla salutis
Spes erit, hei misero. Tu sacra uirgine nate,
Tu mens certa patris, rerumq; immensa potestas,
(Quandoquidem libuit nostræ sub imagine formæ
Versari in terris, cœliq; relinquere sedes,
Felices nimium sedes, mortemq; subire,
Quo morte ablueres sceleris contagia nostri,
Nosq; polo extorres ueheres super aurea tecta
Stellantis cœli, regniq; in parte locares)
Tu, tu, qui sanctos duxti per cærula gressus,
Nec sacræ tumido maduerunt æquore plantæ:
Et fractos ponto, & uersantes turbine lethi
Protexti lectos fratres, quos turbidus æstus
Ceperat, & medio iactabant æquore fluctus,
Dum traherent fessi captos ad littora pisces,
Innixi tenui remo, paruoq; phasello.
Nunc mihi nunc misero, quando tibi nubila parent,
Horribilesq; tibi uenti famulantur, & undæ,
Et maris undisoni fluctus tua iussa capessunt,
Sterne iter ô placidum, ut læto uada cærula cursu
Peruolitem, atq; grauis non obstrepat unda carinæ:
Iam ponat Boreas, pelago dominentur aperto

Pacati Zephyri, ducant qui marmora flatu.
Adnent Nereides, & mitis Cymodocea,
Diua potens ponti, glaucarum prima sororum:
Infensos pellat fluctus, sæuumq; tridentem
Neptunus ponat, Tritonq; coërceat undas,
Cæruleus Triton, curua & uocet æquora concha:
Armatusq; ensem ponat nimbosus Orion:
Iam cœlo niteat radijs felicibus illa
Illa maris stella, ingens illa & gloria Olympi,
Immensumq; iubar, qua non felicius ulla,
Mitius aut splendet sulcantibus æquora nautis.
Tu subeas placidus nostræ moderamina puppis,
Heu propè submersæ, quo uasti murmura ponti,
Terribilesq; minas superem, te præside, inanes.
Atq; lupos, atq; ora canum, tranquilla per alta
Effugiam tutus, blandùm spirantibus auris.
Victor ouans pelagi, optatoq; in littore sistam
Te duce iactatam, discussa nube, carinam.

EXCITATIO SVI IPSIVS.

IAm satis erratum est, sat iam per deuia lustra
Iuimus immemores, falsa sub imagine ueri
Allecti: & cæcis iam pridem erroribus actos
Tartareus Rector, cunctis mortalibus hostis
Ingens, assiduus (uinctos quo ad Tartara uictor
Nos traheret) sæuis oneratos colla cathenis

Duxit

Duxit ouans miseros, & ueræ lucis egentes.
Nunc postquam illuxit, postquàm nos summus Olympi
Arbiter ad superûm sedes, sanctosq; recessus
Allexit toties, toties & uoce uocauit,
Mutemus mores, & regis iussa sequamur
Aeterni, qui nos pridem de carcere cæco
Morte sua exemit, stimulo perculsus amoris.
Propositum sectemur iter, iam luce recepta.
Nec mundi illecebræ, nec nos male sana uoluptas
Eludat rursus, nec amor sceleratus habendi
Nos aliò flectat, firma hæc sententia menti
Insideat, curis & iam tangamur honestis.
Cœlestes ignes & mente & pectore toto est
Nunc opus excipere, exceptos sub corde fouere.
Oremus ueniamq; Deum, puroq; litemus
Pectore, & oblitos scelerum, uitæq; peractæ
Nos nostri pigeat, hæc nostra piacula sunto.
Non myrrham Deus à nobis, non thuris aceruos,
Balsama, nec casias, nec nardi mollis aristas,
Non pecudum fibras, non exta trementia poscit,
Ipse Deus: sat nostra illi si pectora demus,
Abluta à labe immunda, culpisq; nefandis.
Hoc petit, hoc uno stellis florentia regna,
Felices superûm sedes, & tecta beata,
Sponte dabit, summo donabit munere lucis.

Hoc uno Deus, ille Deus, cui regia cœli
Paret, qui terras nutu, camposq́; liquentes,
Et genus omne hominum, pariter genus omne ferarum
Aeternis regit imperijs, tot ferre labores
Pro nobis ultro uoluit, mortemq́; subire:
Tantus amor nostri, clementia tanta Tonantis.
Sed postquam sine te uirtus humana fatiscit,
Vera Dei soboles, proprio nec robore possunt
Humanæ niti uires super ardua Olympi,
Respice nos quæso, & nostros miserate labores
Dilue rore pio nostræ contagia culpæ,
Si qua manent, pectusq́; tuo iam numine comple.
Non sic quippe lupi, rabies quos improba uentris
Exagitat, gregibus miseris in nocte silenti
Insidias tendunt tacitas, mortemq́; minantur,
Vt ferus ille hostis, sæui dominator Auerni,
Hortator scelerum, scelerumq́; inuentor iniquus,
Heu, nimium infensus, facies se uertit in omnes,
Et tacitum uirus, stimulosq́; ad crimina subdit,
Quo nos præcipites, miserosq́; Acheronte sub imo,
Cum nos atra dies demet uitalibus auris,
Perpetuas trahat ad tenebras, mortemq́; perennem:
Aeternùm & sontes damnet pallentibus umbris:
Hic ubi Tisiphone insultans accincta flagello,
Languentes animas, & multo crimine fœdas

Vrget

Vrget atrox, subditq; faces, nigramq; fauillam
Vltrici dextra, & late feruentibus undis
Aeternùm exercet, picea in caligine fumi.
Adsis tu nobis, auidumq; inhibeto rapinis
Omnipotens, uirtute tua, ut fiducia uicto
Concidat, & patrio clemens nos assere cœlo.
Quãdoquidem hinc fragiles anima est demissa per artus,
Huc sese demum extollat pernicibus alis
Te duce, nil ultra exoptet, nil deniq; poscat,
Te summo contenta Deo, uitaq; perenni.

DE COELII CALCAgnini Hymno.

AN 'ne tuo rupes etiam de carmine surgunt?
Promit & arenti de nuce Musa nemus?
Aura Paraetonias colubris præmiscet arenas,
Marmaricusq; leo seruat herile latus:
Illyricus pater in media perlustrat eremo
Cœlum, & cœlicolas, tergeminumq; patrem.
Idem animo, idem oculis nostræ uexilla salutis
Spectat, & inclusum pectore numen alit.
Si nux tantarum monstrat spectacula rerum,
De nuce quis promptam perneget Iliada?

Nam tecum adſurgit ſaxis imperuia rupes
Horrida, & attollens ad cœlum immane cacumen.
En etiam nemus umbriferum grauis aura fatigat,
Atq; huc atq; illuc ſteriles prouoluit arenas,
Cumq́; ipſis angues ſinuoſos miſcet arenis.
Parte alia pendet ſacrati ex more trophei,
Oſtro inſignis apex, duplici quem tænia nodo
Alligat, atq; abiuratos teſtatur honores.
Hinc uiden' ut totam longe procumbat in aluum,
Et defendat herile latus, uaſtosq́; receſſus
Occupet ille leo, timor ille Libyſtidis oræ,
Nunc iacet, atq; intra theſauros colligit ungues,
Illos olim ungues manantes cæde frequenti.
Aſpicis ut poſita nunc ſe ceruice reclinet?
Exertaq́; ſenis lambat ueſtigia lingua?
At te ſancte pater, nec ſaxa, nec horrida rupes,
Nec fera, nec nemoris fragor auocat: omnis Olympum
Mens inhiat, totum pectus ſuſpirat IESVM.
Illum animo, illum oculis, illum omni concipis ore,
Illum unum aſpectas pendentem è robore celſo,
Suffixasq́; manus, perfoſſaq́; pectora, & heu, heu,
Omne caput lacerum crudeliter oſtentantem,
Atq; hæc perpeſſum, noſtras ut ſanguine noxas
Eluat, & miſeros Genijs cœleſtibus addat.
Nunc pietas, nunc ſumma mouet clementia patris,

Muneraq́;, & promißi animo obuersantur honores.
Scilicet æthereas præclarum est scandere sedes,
Et tandem numerum magnorum augere deorum.
Sic bene habet, tua cana fides, tuaq́; inclyta uirtus
Me iuuat, & sanctis mens sancta exercita factis.
Hoc piget, ipse insons, atq; omnis criminis expers,
Hei mihi, te nimium exemplis crudelibus urges.
Tu'ne adeò pius erga omnes, in te impius unum?
Quid male mulctatum tergus, quid liuida ceruix
Commeruere? quid in superos committere tantum
Hæ potuere genæ, flagris, fletuq́; rigentes?
Quid latera hæc cilicum crudeliter obsita setis,
Et spinis implexa? quid enthea pectora tantum
Admisere nefas? quid mens cœlestibus hausta
Ignibus, atq; olim cœli pars magna futura,
Nunc quoq; nil spirans nisi cœlum in carcere tetro,
Ausa quid est? tantis quæ digna piacula pœnis?
Quam lachrymis & sollicitis singultibus usq;
Nocte die crucias. En uix cutis arida membris
Nititur, attritaq́; hærent compagine costæ.
Nec iam ille es, gelidum qui quondam natus ad Istrum,
Arua Palæstino petijsti torrida cancro:
Illius tenuis nunc uix agnoscitur umbra.
Cur tantum licuit de te tibi? Non ferus hostis
Hæc ausit, non monstra istis errantia syluis.

Tun' mon

Tun' monstris sæuoq; in te crudelior hoste?

Parce pater, tibi parce pater: Nos *uerbera, nos hæc*
Flagra decent, quos mille modis rapit impetus amens,
Dum cœlum toties, superosq; lacessimus ultro.
Hinc uocat ambitio, trahit hinc uesana libido,
Hinc mouet ira suos stimulos, timor inde coërcet,
Hinc præmit illa animo semper rediuiua uoluptas.

Nos ergo exultantem, atq; in diuersa trahentem
Castigemus equum, ut spacijs inclusus iniquis,
Et mores ferat, & leges patiatur heriles.

Sed quoniam sine præsidio, sine numine diuûm
Nitimur incassum, quom uis humana fathiscat,
Heus age, & infandos animo miserate labores
Huc ades ô pater, & propius res aspice nostras:
Atq; tuæ nobis plagæ, tua uerbera prosint.

Hæc ego, quom Bernarde *tuum admirabile munus*
Aspicerem, mecum meditabar, & omnia circum
Lustrabam exili calyci nucis addita: quamuis
Nec *labor exilis, tenuis nec gloria.* Quondam
Sic Callicratidæ *Graij, &* Myrmecidis *artem*
Mirati, & magnum parua sub imagine mundum.

FINIS.

CYNTHII IOANNIS BAPT. GYRAL.

IN NVPTIAS IO ANN. SINAPII Germani, & Franciscæ Bucyronæ Gallæ, EPITHALAMION.



RGO *cum celebrent tot uates læta Sinapi*
Connubia, ut resonet lætos urbs tota Hymenæos,
Nos Erato indictos huius linquemus amores?
Quin iucunda cane, & myrto præcincta uirenti
Huc propera, atq; animis facilis tete insere nostris.
Nuncq; Sinapij ambo dulces referamus amores.
Nec te Phœbe pater teneat nunc Delphica Pytho,
Quin huc accedas, redimitus tempora lauro,
Et plectro insignis. nobis nam carmina uati
Sunt danda, & medico insigni. Tu carminis author,
Tuq; artis Medicæ inuentor. nunc gloria poscit
Te tua, nunc citharæ uocales tangere chordas
Est opus, & dulci modulari carmina uoce.
Viderat è summa cœli Venus aurea sede
Te puerum genuisse tibi Germania felix,

Qualem

Qualem nulla unquam uiderunt secula, qualem
Non tulit ulla unquam regio. quem matre cadentem
Mnemosyne excepitq́; ulnis, undaq́; Aganippes
Abluit, & paruum Musis mandauit alendum.
Quem docta Vranie, quo pauerat Orphea lacte,
Mæonidem, Ascreumq́; senem, magnumq́; Maronem,
Nutriuit, docuitq́; omnes tentare recessus
Aonij nemoris, dulcesq́; intendere neruos,
Et doctos numeros uocalibus addere neruis.
Hunc ergo ut uidit uolitantis mater Amoris,
Tu charus formose mihi placidissima dixit,
Tu mihi miles eris, sic te fata aspera nunquam
Sollicitent, iubeantq́; æuo pubescere læto:
Aeternos pueriq́; oculis afflauit honores.
Ast ipsum firmata uirum cum reddidit ætas,
Cumq́; annis flos formæ ingens, & gratia creuit,
Obstupuit magis atq; magis formosa Dione,
Et secum: Nunc quando tenent me numina *Martis,*
Nec mihi nunc fas est illius linquere flammas,
Mecum erit iste labor, compar quod iuncta puella
Sit tibi, quæ pulchra faciat te prole parentem,
Et felix tecum felices exigat annos.
Hæc ubi dicta dedit, Paphias frenare uolucres
Iussit, & aurato deuecta per aëra curru
Dilectam liquitq́; Gnidon, Cyprumq́;, Paphumq́;,

Et qua

Et qua sol oriens cœlo se immittit aperto,
Carpsit iter longum, & Rhodanus qua defluit undis
Fessa stetit, multisq́; hic tandem è millibus unam
Seligit, eximiæ præstantem munere formæ,
Florentemq́; annis, Bucyrono è sanguine cretam,
Quam possis facile formosam dicere Cyprim,
E medijs exortam undis, quod Gratia spiret
Huic blandùm, atq; adsit semper bene suada Voluptas.
Diua igitur secum hanc liquidum per inane columbis
Italiam inuexit, tenues & lapsa per auras
Hanc tibi concessit felix Ferraria habendam.
Et dubitamus adhuc terris magis omnibus unam
Te coluisse Cyprim, nunc quando uirgine tali
Te dea donauit, qua non formosior ulla?
Interea iuuenis Phœbeis altus in antris,
Egregius forma iuuenis, quem dicere Phœbum
Iure queas, citharam si pulset pectine eburno,
Italiam petijt, medicas quo disceret artes,
Et morbis adhibere manus. duce Cypride gressus
Huc etiam flexit, rapido qua labitur amne
Eridanus, lambitq́; tuos Ferraria muros.
Tum Venus exultans successu læta secundo,
Atq; artes meditata nouas. Dum forte puellis
Immixti pueri, manibus per mutua iunctis
Exercent choreas, sinuoso in crura reflexu,

Regali in tecto Alcidæ, dum tibia cantus
Dat mollis, sonituq; aures demulcet amœno,
Aduolat ad natum, atq; illi sic farier orsa est.
Nate decus summum matris, mea summa potestas,
Nunc opus arte tua est, tua nunc mihi numina prosint.
Est locus, Alcides qua rerum flectit habenas,
Magnus Atestinus, soboles dignissima patre:
Illuc nunc properes celeri per inane uolatu
Nate uelim, iuuenemq; mihi Germania quondam
Quem genuit, figas telis, teneramq; puellam,
Gallia quam diues Latias transmisit ad oras,
Atq; ambos (quamuis illos discreuerit orbis
Vltimus) ipse tuis coniungas ignibus opto.
Et ne te fallat species, est proxima forma
Virgo mihi, usq; adeò, quòd tu me credere posses,
Ni faceret certa insignis discrimina cultus.
Est Baccho iuuenis, Phœboq; simillimus ore.
Quare age nate, celer regali te insere tecto,
Rumpe moras, facilis nostro patet exitus igni,
Implicitis pariter manibus dum ducere festas
Lætantur choreas, & saltu corpora librant.
Vix bene finierat, gemmatis aëra pennis
Tranat Amor, charæ & peragit mandata parentis.
Nanq; ipse aurata dempsit duo tela pharetra,
Queis erat ex auro fulgens sub arundine cuspis,

Et neruo

Et neruo imposuit ualido penetrabile ferrum.
Curuati duxitq; arcus mox cornua longè,
Et tandem multa ui adducto ad tempora neruo,
Aurata incautis transfixit corda sagitta.
Accepere ambo cæcum sub pectore uulnus,
Vruntur pariterq; ambo, pariterq; calores
Ambo fouent, mollisq; utriq; est flama medullas.
Ex illo est formosa magis pulcherrima uirgo
Visa uiro, teneræq; etiam uir uisus amanti
Pulchrior. illa genas grato suffusa rubore,
Hæret in obtutu iuuenis, nunc sedula laudat
Lumina digna polo, primæ floremq; iuuentæ,
Ora manusq; ambas, niueo & candore ruborem
Immixtum uultu, ceu lilia candida uernis
Mixta rosis, hauritq; oculis sitientibus ignem,
Singula dum spectat, secum dum singula laudat,
Externiq; thoros ardens desiderat orbis.
Nec minus ipse etiam iuuenis sua gaudia uersat,
Lumina dum spectat, flagrantis pabula amoris,
Lumina, & illustris miratur frontis honores,
Virginis os, habitumq; suæ, faciemq; serenam,
Quam liuor, licet id cupiat, non carpere posit.
Vsq; adeò inuidiam superat: nigrosq; capillos,
Quos simul in nodum fuluo collegerat auro
Docta manus, Parium & superantia pectora marmor

Laudat, & in tenero turgentes pectore mammas.
Hic hæretq; amens, immoto hic lumine perstat.
Iam cupit amplexus, iamq; oscula figere labris
Murice depictis, titubantem & sugere linguam,
Atq; animam miscere animæ conserta per ora,
Gaudia iamq; thori tacitus sub pectore uoluit.
Nulla quies animo: namq; altè est uulnus adactum,
Nulla ope Pæonia, nullis medicabile succis,
Sola potest Cypris longos finire labores,
Et grauibus curis optatum imponere finem.
  Hinc non passa Venus curis grauioribus uri
Egregios iuuenes, longos miserata labores,
Coniugis Alcidæ regalia tecta subiuit,
Hisq; illam alloquitur, dictisq; inspirat amorem.
  O digno coniuncta uiro, iam numine nostro
Facta parens, dulces Lucinæ experta labores,
Et felix una ante alias, quæ cœtibus extas
Tantum fœmineis, quantum Latonia uirgo est
Virginibus prælata suis, Nereidas una
Quantum exto: si grata tibi sunt munera nostra
Ne pigeat quos nostra diu iunxere uolentes
Numina, iam tandem tæda sociare iugali.
Quos loquar, ipsa tenes: nouit namq; ultima tellus
Horum ignes, quibus & uotis connubia poscant,
Nedum tu, assiduè cuius coluere penates.

Iam uirgo matura uiro est, iam flore iuuentæ
Fulget amans iuuenis, parq; est in utroq; uoluntas,
Alteriusq; alter placido respondet amori.
Ante igitur tacito ueniat quàm serior ætas
Vecta pede, & membris irrepat cana senectus,
Non satis apta thoro, soboli non utilis ætas,
Legitimo incumbant thalamo, natisq; creandis.
En Hymenæus adest, dextra iam lampada quassans,
Flammeolo intectus croceo, cui iungere tæda
Corda simul licuit: ne non felicia credas
Connubia, & superûm summo fore grata parenti.
Quin infensa mihi Iuno nunc exuit iras,
Et mecum delapsa polo nunc dona ministrat
Apta thoris, optatq; æterno hos iungere nexu.
Tu quoq; Diua mihi faueas, & perfice munus
Optatum à superis, nec amantum gaudia differ.
His dictis rosea Cypris ceruice refulsit:
Agnouit Regina deam, nec plura morata
Huc iubet acciri charam de more puellam,
Oscula libauitq; illi, dehinc talia fatur.
O uirgo dilecta mihi, dilecta Dionæ,
Illa dies uenit, qua tu potiere cupito
Nupta uiro: gratare tibi. tunc gaudia pectus
Tentarunt Nymphæ, quamuis sua gaudia celet,
Et roseus tegat ora rubor, pudeatq; fateri.

Huc

Huc autem pallam gemmis auroq́; rigentem
Regina afferri iußit, charæq́; puellæ
Exultans, placidis manibus conceßit habendam.
Tum sociæ huc sese agglomerãt: pars ducere crines
Lætatur comiti nardo: pars pectine eburno
Multifidum discrimen arat: parsq́; ordine ponit,
Et uarios nectit flexus, uariosq́; reflexus.
Hæc capiti crinale aptat, radiantibus ardens
Gemmis, distinctumq́; auro, quod fœmina Coa
Arte laborarat, preciosæ munera dextræ,
Ornatus Reginæ olim, dignusq́; Minerua.
Virgineis aliæ ex humeris demittere uestem
Gaudent, atq; aurum tereti circundare collo
Tortile, nexilibus nodis baccisq́; decorum.
Mox multo comptam cingit Regina smaragdo,
Et quamuis maior, gestit minor ire marita.
Talis erat uirgo gemmis redimita coruscis,
Qualis per uarios terra est depicta colores
Verè nouo, Zephyri flatu: uel qualis ad astra
Iuit ouans tygres leuibus moderata capistris
Lenæi coniux, radienti compta corona.
Huc etiam accitus iuuenis se feruidus infert,
Cui roseæ ceruicis honos, tacitusq́; moratur
Tot uotis optata diu connubia amantis.
Ecce autem cœlo missus Cyllenius ales,

 Improuisus

Improuisus adest, hilarans tecta omina uultu,
Et patris mandata refert, monstratq; fuisse
Cœlitibus curæ hoc, ut lecti fœdera iungant:
Et capiens dextra iuuenem, læuaq; puellam,
Optatis tandem sanxit connubia uerbis.
Signa dedit Iuno facti, tunc mollis Amorum
Insultat pubes thalamis, & lilia nectit
Alba rosis, largosq; effundit nectaris imbres.
Præcinit & faustum uati quoq; Cynthius omen,
Huc pedibus uectus, turba comitante sororum,
Dulce canunt Charites, canit & Semeleius Euan.
Visus Amor agitare faces, & ducere lusus.
Tunc tectis mensas famuli longo ordine ponunt,
Regifico instructas luxu, pars liba parauit,
Parsq; dapes alias, pars Maßica uina coronat.
Ergo multa omnes cum ultro citroq; dedere,
Et tecta ingenti complerunt regia plausu,
Discubuere simul. Sed ubi laticumq;, dapumq;
Est exempta fames, & amor compressus edendi,
Actutum forma insignis, cultuq; uerendo,
Et genere illustris, felix tua Gallia proles,
Parthenia, Aoniis dudum comes addita Musis,
Iuncta uiro, nec non præclara prole superba
Obloquitur numeris, festa hisq; Hymenæa frequentat,
Percurrens citharæ uocalia fila canoræ.

Iungitur optato iuueni dum pulchra puella,
Iungitur optatæ iuuenis dum pulcher amanti,
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Tempora præcingat mollis tibi amaracus, atq;
Flammeolus te ornet croccus, croceisq́; cothurnis
Indue diue pedes, felices concute tædas.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Nil sine te Cypris potuit, nil regia Iuno,
Quamuis illa urat, quamuis hæc iungat amantes.
Non natis unquam poterit domus ulla potiri,
Legitima è tæda genitis, ni numine præsens
Ipse ades, & sanctis iungatur nexibus unà
Te duce uterq; parens, proli te incumbat uterq;.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Niq́; tuo primæ libentur munere noctes,
Coniugibus faustum nil est, nil deniq; felix.
Pronuba quin furia infelix his concinit omen
Connubijs, tua quæ penitus pia numina temnunt.
Numinis ergo tui ne desit gratia nobis.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Namq; bonæ Veneris tu dux, tu solus amoris
Esq; author sancti, tibi debet quicquid in orbe
Progenuit licito gens omnis munere lecti.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Te poscit uirgo uotis, teq́; ipse maritus,

 Et nos

Et nos te petimus, precibus bonus annue nostris.
Incusat iam uirq; moras, iam pacta puella
Te manet, & cupido sese optat iungere amanti,
Flexipedes iunctæ ut uites frondentibus ulmis,
Bracchia uel quercus cingunt nodosa corymbi.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Vesper adest, Veneri gratißimus: en age segnes
Rumpe moras, ueloxq; pedes huc flecte beatos,
Ne rogo, ne differ primæ noua gaudia noctis,
Quæ uir suspirat, suspirat pacta puella:
Et desiderio iam contabescit uterque.
Quare age sollicitos iam nox coniungat amantes.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Iam uenit en tædæ fulgor, iam lutea serum
Flammea fert nuptæ. prodat nunc obuia uirgo
Læta deo: pudor ire uetat, timet ipsa quod optat.
Ille tamen properat, felix gratare puella:
Nam fausto portat lætas tibi sidere tædas,
Queis coniux iungêre uiro felici Hymenæo,
Inq; sinus tendes optati optata mariti.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Fortunate puer, qualis tibi ducitur uxor.
Non uelox Rhodanus potuit, rapidus'ue Garumna
Te dignam huc misisse magis, seu munera formæ,
Siue animum spectes, seu quo sit sanguine creta.
Huc ades

Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
O felix uirgo, quali iungêre marito.
Non mage te dignum uidit gens accola Rheni,
Nec quenquam Latias unquam transmisit ad urbes,
Cui mage te posses felici iungere tæda.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Non ego crediderim factum sine numine diuûm,
Vt quos extremus tantum discreuerat orbis,
Perpetuo iungat nexu felix Hymenæus.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Viuite felices longùm concorditer annos,
Nascatur soboles, reddat quæ utrunq; parentem,
Gallica qua exultet, qua exultet Cymbrica pubes,
Quæq; utramq; domum factis super æthera tollat.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Talibus orabat percurrens pectine chordas
Parthenia, & gratis mulcebat cantibus aures.
Interea somnos suadent labentia cœlo
Sidera, & ad thalamos poscit Saturnia amantes.
Tunc utrumq; simul nectit Venus aurea cesto,
Hicq;, ubi posuerat socium Concordia lectum,
Coniunxit fausto nexu. mox talibus infit:
Nunc uos bella manent, uoto quæsita perenni,
Paceq; grata magis: nunc uobis carpere munus
Optatum toties fas est. Tu pollice dextro

Carpe puer florem, nec te suspiria flectant
Coniugis, igne pari tecum calet illa, cupitq;
Quod renuit, nostras fortis tu suscipe pugnas,
Quamuis illa gemat, quamuis luctetur amanti,
Victa cadet tecum, & capiet solatia amoris,
Crede mihi, atq; ultro quæ nunc pauet illa reposcet
Iura thori. Tu tela cape, & iam comminus illam
Aggredere, est Phœbes manibus iam zona recincta,
Nuncq; mora in damno est, iam uiribus utere totis,
Virgineamq; bibat iam iam grauis hasta cruorem.
Fac plagis adlecta nouis languescat in ulnis
Lassa puella tuis, instantesq; abnuat ictus.
Tu uerò cupido uirgo coniuncta marito,
Pone metum tandem, libeatq; dedisse petenti
Molle femur iuueni, iam nunc pudor omnis abesto,
Iam luctæq; uacate ambo. nec prælia iusse
Sit bis ter'ue satis. cupiunt iterata puellæ
Vulnera, fasq; uiris non est discedere pugna
Ni cadit, & uictus cedit iam languidus hostis.
Amplexus ederas superent, grata oscula conchas,
Parcere nec lateri libeat, nec parcere luctæ,
Debita dum soboles fœcunda crescat in aluo,
Quæ matrem referat forma, factisq; parentem.
Hæc ait, & clara perfudit luce penates
Alma Venus, petijtq; poli radiantia tecta.

Inq; ſinu Getici penitus reſoluta mariti,
Et iuuenum ludos, & mutua baſia ſpectans,
Conſertis repetita labris, uelut æmula amantum,
Mollius ipſa etiam ſolito ſe iunxit amanti.
Hactenus hæc nobis licuit ceciniſſe, nec ultrà
Progrediar dictis, cum non mihi cuncta pateſcant.
Cætera nox nouit, narret modò cætera coniux.

FINIS.

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI AEGLOGAE.

AEGLOGA I.



ICCINE crudelis me tantis ignibus ustam,
Et quæ te toto iampridem corde recepi,
Deseris? & notos nunc ô nunc despicis agros,
Et petis ignotos? nec te mea cura moratur?
Ergo tibi uiolas nequicquam, & lilia plenis
Porrexi calathis? atq; irrita serta capillis
Imposui sic dure tuis? sic me mea perdunt
Obsequia? heu miseram perdunt sua munera Nisam.
Heu, heu quid uolui miseræ mihi? crudus Iola
Me fugis, & tota Nisam de mente fugasti,
Quamuis te ipsa colam, quamuis tibi munera tradam
Crudelis: miseræ nec tu miserescis amantis.
Ah te si qua mei pietas, si gloria tangit
Te tua, nec duras gestas in pectore cautes,
Me quoq; consortem, quæso, sociamq; laborum
Accipe, per tumidas ueniam maris ipsa procellas,

Perq;

Perq́; altos nemorum tractus, perq́; horrida tesqua,
Te modò dure sequar, uita ô mihi charior ipsa.
Iam mihi formosi saltus, iam florida prata
Eridani, placidus quæ currens alluit amnis,
Et riui sordent, nulla est mihi grata uoluptas
Te sine, despicio pecudes, & pabula læta,
Et serta, & flores & quicquid deniq; amœni
Rura tenent, quicquid pulchri mea lumina cernunt.
Quare age iam Nisæ faueas, meus ignis Iola,
Chare preces nostras ne (quœso) despice Iola,
Ne'ue thoris tecum pigeat me accumbere stratis
Fronde super uiridi, patulæ sub tegmine quercus.
Ipsa tibi uaria texam de fronde corollas,
Purpureosq́; legam flores, & lilia cana,
Et tenues numeros tenui modulabor auena,
Carminibusq́; canam molles Amaryllidis ignes,
Vt Daphnem Phœbus, Venus ut dilexit Adonin,
Vtq́; Acin Galathea suum, gratissima quondam
Munera capripedi Fauno, gratissima Nymphis,
Quæ tibi (ni renuas) poterunt lenire labores,
Et curas mulcere graues, miserere precantis.
Iam tibi iam flectant animum pia carmina Nisæ,
Quæ lachrymis lachrymosa rigat crudeliter ora,
Nomina chara uocans, miseris iam lassa querelis.
Sed postquam uoces surda nunc præteris aure

Ipse

Ipse meas, nec me ulla iuuat pietatis imago:
I precor, i felix pastorem inuise supremum,
Pastorem, pingues flaui qui Thybridis agros
Poßidet, & gregibus miseris felicia præstat
Pabula, & optatam per saltus ducere pacem.
Tu decus, oro, tuum, libertatemq́; tuorum
Tutare, ut tandem rebus feliciter actis,
Et patriæ atq; tuis felicia tempora præstes.
Quas tibi tunc laudes cantabit rustica pubes
Pastorum? quæ serta dabit? quæ liba quotannis?
Ipsa tamen (modò ne infelix correpta dolore
Absentis pueri, tenues exoluar in auras
Interea) laudesq́; tuas, decora alta tuorum
Cantabo tenui stipula. Tu solus, Iola,
Carmen eris nobis, Nisæ ni carmina spernas.
Tu uerò, mea ne penitus sint irrita uota,
Absentis miserere mei, rebusq; peractis
Rumpe moras omnes, & charæ reddere Nisæ:
Numina quæ precibus castis, altaria donis
Accumulat, tandem ut sospes, uotoq́; potitus
Ad notos redeas agros, & rura beata,
Nobiscum & parta felix potiare quiete.

CYNTHIVS IO. BAP. GYRALdus Antonio Musæ Brasauolo, Medico præstantissimo, S. P. D.

NOn te præterit, Vir clarissime, quanto ego amore complector duo illa nostrarum scientiarum lumina, Ioannem Manardum, & Ludouicum Bonactiolum, uiros & ornatissimos, & in omni disciplinarum genere consummatissimos. Quos ambos communi omnium ordinum dolore, magnoq; rei literariæ, & urbis nostræ, immò totius orbis dispēdio, improba mors impetu adeò citato nobis eripuit, ut de industria quodammodo fecisse uisa sit: quod sicut horum alter alteri in rerum & disciplinarum cognitione par erat, ita uterq; pari exitu uitam cum morte cōmutaret. Vtriq; planè patris pietatem debebam, ab utroq; (ea erat ipsorum humanitas) filij loco diligebar. Ille me sacrosanctis Medicinæ sacris initiauit: hic uero, & laborum meorum laurea donauit, & in medicorum collegiū honestissime cooptauit. Quo factū est, ut Manardum ueluti quoddam medicinæ numen colerem: Bonactiolum ueluti dignitatis meæ authorem obseruarem. His de caussis, eorum obitu, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Quid enim non dolerem uiris hisce amissis, à quibus omnis dignitas mea, & in literis promouendi spes ueluti

ueluti de filo pendebat? Quapropter meas partes esse duxi, si illis, quos dum in humanis uitam agebant, summò honore prosequebar, nunc etiam uita functis, quantū opera mea fieri posset, non deessem: & apud utriusq; eorum studiosos, aliquod saltē meæ erga ipsos beneuolentiæ, & grati animi mei testimonium reponerem, ne unà cum eorum præsentia, ipsorum etiam memoria mihi sublata esse uideretur. Et licet nihil in me esse sentiā, quod desiderio meo, & tantorum uirorum magnitudini respondeat (quis enim egregias illas animi uirtutes, eorumq; immortalitate digna ingenia dicendo cōsequi poßit?) tamen quantū in me fuit, operam nauaui, ut hisce carminibus, qualia qualia sint, singularem meum erga illos affectū testatum relinquerem. Ea autem ad te mitto, tum mei amantißimum, tum horum utriusq; studiosißimum: ut quum suapte natura non possent, dignitatis tuæ præsidio authoritatē consequātur. Tu ea & suscipe, & lege: curaq; obsecro, & ob meam in te obseruantiā, & ob tuam singularem erga omnes humanitatem, quod sicut in re literaria utrunq; adeò egregiè refers, ut te superstite, quasi ambo in te uno uiuant, eorum interitu nihil amisisse uideamur. Sic in me amando, fouendo, dignitatibusque ac honoribus augendo utriusque uicem, quod iam cœpisti, quàm libentißime subeas. Vale, & amantem redama.

Ex ædibus nostris.


LILIVS

LIL. GREG. GYRALDVS.

AVius à Musis quamuis per inhospita tesqua
Vitam agitem, legi carmina culta tamen.
Quae mihi, ni fallor, sunt & te & digna Manardo:
Illi tu debes, debet & ille tibi.

DAPHNIS, AEGLOGA II.
In funere Ioan. Manardi praeceptoris optimi, & Ludouici Bonactioli.

DAMON, MANARDVS. DAPHNIS, BONACTIOLVS.



VID Damone mihi, quid nunc mihi Daphnide rapto,
Aut spei, aut uitae superest? quae pabula? quas'ue
Nunc syluas, miser, ipse colam? quid ducere uitam
Exoptem? quid dulce putem mihi Daphnide rapto,
Extincto & Damone mihi? quid nunc moror ultrà
Infelix, quin ipse mihi mea pectora saeuo
Vulnere transadigam? nigras quo tendere ad umbras
Sic liceat, sanctosq; sequi per inhospita manes?
Quid quaeso infelix, uitam producere tentem
Amplius? an forsan tristi ut proiectus in umbra
Aeternos fundam gemitus? uiduataq; cernam
Prata miser? syluasq; omnes sine honore iacentes,

Et mutos querar ad cineres? Eheu dolor, heu ſors,
Sors infauſta mihi miſero. Num ſat mihi Damon,
Damon ſyluarum lumen, quo haud ſanctius alter
Excoluit prata, aut pecora hæc per gramina duxit,
Mœſtitiæ dederat miſero? ni te quoq; Daphni
Extinctum aſpicerem? crudeli funere Daphni?
Cui quondam Damon ceſsit ſua munera lætus,
Et dixit moriens: Tu nunc, chariſsime Daphni,
Succedes nobis, tibi nunc ſit cura mederi
Armentis, gregibusq́;, & ſæuos pellere morbos
Arte tua, & teneros ne quis male faſcinet agnos,
Curabis uiridi redimitus baccare frontem.
Hoc ego Damonis caſus ſolabar acerbos.
Sed quoq; cum iaceas Daphnis, cui cura ſalutis
Noſtræ erit? aut mortem quo nunc ſolabimur atram?
Scilicet hæc nobis, nobis hæc gaudia linquis,
Extinctum lachrymis ut te comitemur amaris.
Te'ne lapis tenet hic gelidus, ſine ſanguine corpus?
Tun' nobis nuſquam es? nec te perquirere nobis
Eſt fas, aut ſolitas audire ac reddere uoces?
Hinc flent te Fauni, flent te pia numina Nymphæ,
Syluanusq́; ferens teneram ab radice cupreſſum,
Panq́;, Palesq́; ſimul, ſimul & crinitus Apollo.
Quin Daphne infelix ima de ſtirpe reuelli
Ter conata fuit, ter ramos flectere uiſa eſt,

Atq; comas,

Atq; comas, strata & funus lugere corona.
Et lentæ salices flerunt, humilesq́; genistæ.
Pastoresq; omnes, gregibus per prata relictis,
(Ni quos liuor edax uexat) miserabile funus
Luxerunt, sæuum ipsa etiam testata dolorem
Armenta, & pecudes, & syluæ, & littora, & amnes.
Atq; tuus Lycidas, cui sunt sine lumine soles,
Cui nox illunis. Nam postquam te Atropos, heu, heu,
Surripuit, spes cunctæ illi cecidere, nec unquam
Dat finem lachrymis, imo de pectore questus
Effundens, uocat infelix dum nomine Daphnin,
Daphnin, quem medio seruat sub pectore fixum.
Et coniux, non iam coniux Galatea, sed orba,
Infelix coniux, funus comitata supremum,
Tusa genas, laniata sinus, discissa capillos,
Nunc cœlum infelix, nunc impia sidera damnat,
Et syluas clamore omnes, & questibus auras
Complet, dum condit uiridanti membra sepulchro.
Tu uero æternus fulgentia sidera calcas
Et nostros rides gemitus, uel balsama campis
Deligis Elysijs, & odoriferam panacæam,
Dictamumq; crocumq́;, immortalesq́; amaranthos,
Elysios inter manes non degener umbra:
Et gaudes Damone tuo, quem pessima Clotho
Inuidit syluis, pridemq; ad Tartara misit.

Sed nec tu Daphni Elysium, nec talia Damon
Regna colit: uos astra tenent, uos numina diuûm
Cernitis insignes animæ: uos lampade rara
Lustratis cœlum, stellis fulgentibus aptum.
Agnosco lumen rarum: uos numina syluis
Pastôres addent, & serta, & liba quotannis,
Et pia thura dabunt, niueo & spumantia lacte
Pocula. iam diuis ponent altaria uobis,
Et uestro instituent ludos de nomine dictos.
Fortunati ambo, postquam uos carcere dempti,
Aetherias colitis felicia numina sedes.
Nunc ô nunc uobis, si sunt mortalia curæ,
Et nostrûm uos tangit amor, nec perdere prorsus
Pastores superi quærunt, post funera tanta
Vos MVSAM *seruate meum, quo sospite syluis*
Gloria, honosq́; suus uiuet. nam hunc numine Apollo
Afflauit puerum, tristesq́; hunc pellere morbos
Edocuit, uestrasq́; uices nunc sumere iußit,
Ipse ut P*æonijs succis medeatur, & herbis,*
Ingenio uigili, doctumq́; M*achaona reddat.*
Ast ipse interea curis ingentibus æger,
Hæc tibi do L*ycidas mœstißima munera* Daphni:
Tu facilis mitisq́; ueni: mea munera Damon
Haud spreuit, tunc cum solui suprema sepulchro
Iusta miser, uario & conspersi corpora flore.

Tu

Tu quoq; Damonem felix imitabere Daphni,
Atq; libens capies hæc, quæ tibi munera pono,
Munera certa quidem nostri monumenta doloris.
Quin etiam tumulo supremum hoc accipe carmen;
Mœstitiæ, & uerum sinceri pignus amoris.
Quod pastor dum rura colet, dum gramina falce
Detondet, pecora & uiridi compellet hibisco,
Incisum lauro aspiciet, tua nomina seruans,
Nomina, quæ iugi facient te uiuere fama.
Hic Daphnis iaceo, satis hoc tibi nosse, uiator:
Cætera fama tulit super & Garamantas, & Indos.

BARTHOLOMAEO PROSPERO
Consiliorum Herculis Estensis
participi fidissimo.

SI uacat, & nostri si qua est tibi cura laboris
Nise, decus nemorum, gloria Nise mea:
Hanc, rogo, quæ fragili compacta est fistula canna,
Accipe, Damœtæ munera grata tui.
Nec leuibus calamis pigeat triuisse labellum,
Ista decent magnos munera, Nise, deos.
Pan, deus Arcadiæ, tenues inflauit auenas,
Panq; dedit dulces inde ciere modos.
Sic pulchram pariat Phyllis tibi candida prolem,
Prataq; depascant sic tibi mille greges.

NISVS, AEGLOGA III.
ad eundem, de eius & Beatricis
Priscianæ nuptijs.

LYCON, MENALCAS.



Ondebant uicina, Lycon, dumeta iuuenci,
Et pecudes, mecumq; meos meditabar amores,
Cum forte, innixus ramo felicis oliuæ,
Vidi lasciuas per roscida prata Napæas,
Implicitis manibus plaudenti uoce choreas
Ducere, & agresti modulari carmina canna,
Et Pana, & Satyros, & montiuagos Syluanos.
Ecce dies aderat, pulchram qua Phyllida Nisus,
Nisus pastorumq; decus, nemorumq; uirentum
Gloria, perpetuo sociam sibi fœdere iunctam,
Ad socios duxit thalamos, placidosq; Hymenæos.
Ly. *Hoc erat, hoc ipsum, quod pridem noster Amyntas*
Cantabat uacuus, muscoso stratus in antro,
Dum nemora & dulci mulceret pabula uoce.
Me. *Ne, rogo, ne pigeat, dum læto in gramine ludunt*
Armenta, & pecudes, omnes nunc reddere uersus,
Quos modò felici fundebat pectore Amyntas.
Sic tibi sit facilis semper formosus Iolas,
Sicq; optata feras chara de Leucade uota.

Ly.

Ly. Sim licet illi impar numeris, & uoce, Menalca,
Me tibi nunc æquum parêre est. carmina dicam,
Carmina, quæ dudum sitientibus auribus hausi:
Nam memini numeros omnes, & uerba notaui.

O decus Italiæ, cunctis prælata puellis,
Virgo, decus Charitum, syluis celeberrima nostris,
Quàm te felici spectarunt numine fata?
Tu, quem mille olim castæ optauere puellæ,
Connubio optato nunquam potuere potiri,
Sola tenes, illi tæda sociata iugali,
O felix coniuncta uiro, cui numina Faunûm
Applaudunt, cui Pan meditatur arundine musam,
Cui sunt Mopsopijs inspersa liquoribus ora.
Vidi ego capripedes Faunos, Nymphasq́;, ferasq́;
Ludere, & annosas motare cacumina fagos,
Ponere & immites flatus ad carmina uentos,
Dum caneret, tenuemq́; canens inflaret auenam.
Et Daphnis pastor, cui syluæ & pabula parent,
Quæ nitida Eridanus decurrens alluit unda,
Quo tantum nemora Italiæ felicia gaudent.
Ille meus Daphnis, cantans qui proxima Phœbo
Carminibus facit, & cantu qui uincit olores,
Eridani qui nant herboso in flumine læti,
Hunc unum cunctis præfert pastoribus, unum
Semper flore nouo, sertisq́; halantibus ornat,

Partiturq́; ipsi curas, arcanaq́; mentis.
O felix una ante alias castissima uirgo,
Virgo, cui nymphæ redolentia lilia carpunt,
Et uiridi intexunt myrto, & uiuaci amarantho.
Non te sæui æstus, urit cum sirius agros,
Vexabunt, Boreasúe geluo torquebit iniquo,
Flatibus aut sæuis hortos uiduabit honore,
Nec glacialis hyems exscindet frigore plantas:
Sed uer purpureum genitabilis aura Fauoni
Adducet, gemmisq́; nouis Zephyritides auræ
Depingent longé lateq́; uirentia prata.
Flaua Ceres, grauibus crines circundata aristis,
Munera opima feret, cymbijs spumantia fundet
Vina pater Bacchus: Tritonia pinguis oliui
Crateras statuet magnos, ditissima dona:
Et Pomona tibi cultis clarissima in hortis,
Arboreos tradet fœtus, felicia poma,
Castaneasq́; nuces, auro & certantia mala,
Excubijs quondam mala euigilata draconum.
Ipsa Pales, niueas & oues, agnosq́; petulcos,
Hœdosq́;, & capras distentas ubera lacte
Concedet, pariterq́; noui carchesia lactis,
Quin & Hamadryades comptæ frondente corona,
Et festas ducent choreas, & carmina dicent.
Atq; Napææ omnes, satyrûm placidissima cura,

Felices florum nimbos, ſpirantibus auris,
Effundent, pariterq; omnes halantia nectent
Serta tibi, atq; opibus genitalia ſtragula uernis
Inſpergent manibus placidis, & diuite fronde.
Immo ultra hæc, quæ ſunt ſyluarum pinguia dona,
Nereides ipſæ ſpumanti ex æquore conchas
Purpureas relegent, auulſa coralia ſaxis
Innectent collo, niueis diſtincta lapillis,
Diuitias Neptuni, & formoſæ Amphitrites,
Munera paſtorum nulli conceſſa priorum.
Tu uero, quem fata uocant, quem poſcit Apollo
Aureus, & cingit florenti fronde capillos,
Paſtores inter lectos lectiſſime Niſe,
Fœdere perpetuo charam tibi Phyllida iunctam
Quæſo foue, & cupidis cupidè amplexare lacertis:
Suſpirat uirgo amplexus, ſua gaudia poſcit
Phyllis, clara oculis, cultu clariſſima Phyllis,
Candidior cycnis, & dulci dulcior Hybla,
Lucidior ſtellis, & pluma mollior omni,
Aurea Acidalios fundit cui Cypris odores.
Huc ades ô formoſe, ueni, te pronuba Iuno
Iamdudum uocat in thalamo, felixq; Hymenæus
Flammeolo intectus croceo, croceisq; cothurnis
Vinctus utrunq; pedem, quaſſans & lampada dextra
Iam feſta te uoce uocat, iam Cynthia nuptæ

Dissoluit manibus zonam, tu gaudia sume
Nise parata tibi, uiridantia stragula sternit
Mitis Hymen. formose ueni, cape munera lecti.
Vesper adest, toto sese diffundit Olympo
Hesperus, optatam ducit qui sidere noctem:
Huc ades, & iunctam stabili tibi fœdere nuptam,
Ingenio claram, formæ nec stirpis egentem,
Iam foueas, tereti substernas brachia collo,
Iam lateri coniunge latus, dulcißima amoris
Munera carpe libens, tibi debita munera Nise.
Hinc tibi nascentur Damones & Alpesibæi,
Insignes calamis, insignes arte canendi,
Qui doceant resonare uirentes Phyllida syluas,
Aoniasq; deas Romana in carmina ducant.
Namq; his non hædos uiridi compellere hibisco
Cura erit, aut unco campos proscindere aratro,
Vel socias lentis coniungere uitibus ulmos:
Sed tantum calami tenues, & carmina cordi,
Et uoce & numeris doctos superare Menalcas,
Et cantu aërias deducere collibus alnos.
Horum carminibus sistent sæua æquora fluctus,
Mitescentq; feræ, iunctiq; leonibus hœdi
Errabunt syluis, fugietq; inamabilis horror,
Et pecudes posita ducet formidine pastor.
Hæc sunt quæ dudum uacuus cantabat Amyntas,
Et re-

Et respondebat facilis cantantibus Echo.
Me. *Non tantum pluuia lætatur torrida tellus,*
Vere nouo uolucres, florenti gramine campi,
Quantum nunc ego sum lætatus carmine Amyntæ.
Ly. *Sic ô quæ cecinit, superi læta omnia firment,*
Coniugibus sit uera fides, & mutuus ambos
Nectat amor, niueis qualis solet esse columbis:
Pulchraq; nascatur pulchro de sanguine proles,
Proles, qua mœstis redeant sua gaudia syluis.
Me. *Sic erit: arrident en undiq; & undiq; prata.*
Sed iam sol rapida uectus uertigine cœlo
Inclinat, cogamus oues pecudesq; Menalca,
Et consueta petant saturi præsepia tauri.

ALFONSO GVARINO.

SErò planè, Alfonse suauißime, ob felices filij tui nuptias tibi gratulor: non ob id tamen abs te accusandus sum, cũ id à me nulla negligentia prætermissum sit. Scis enim me negotijs propemodum infinitis, & illis difficillimis districtum, ob quod nihil ferè otij ad scribendum mihi reliquum est. Nec id coràm tecum agere uolui, licet potuerim. Ego enim mihi ipse uidebar propemodum inanis, si aliquid omnino mecum non ferrem, præter uerba, quo & mihi gauderem, & tibi gratularer, meumq; erga te amorem apud te testatum relinquerem: præsertim cum ami-

citiæ iampridē inter nos ortæ, his ipsis nuptijs successerit affinitas. ab eadem enim præclara Malchiauellorum familia, à qua nurus tua originem ducit, & uxor mea, ex Damiana Malchiauella, fœmina lectißima, oriūda est. Erit igitur apud te testis Alcon hic meus, immò tuus (quid enim quod tuum est mihi uendicem, & in censu meo asciscam?) inter uarias animi mei perturbationes ortus, quatū tuo hoc bono mihi gauisus fuerim. Hunc uerò si forte te indignum iudicaueris, ignosces occupationibus meis: si ipsum probaueris, id omne (quodcunq; est) lætitiæ, quam de filij tui nuptijs, opinione omniū maiorem animo concœpi, acceptū iri oportere tibi persuadebis: perspectumq; habebis, me nihil magis optare, quàm quod hoc tibi & perpetuæ uoluptati, & sempiterno commodo sit futurum: & quod inter nepotes tuos omnes annos usq; adeò feliciter exigas, ut cum ætas tua ingrauescere cœperit, in amore atq; ipsorum adolescentia mollißime conquiescat. Vale: & Aeglogam hanc, licet iure tuam, Alexandro fratri uiro clarißimo, cui nuncupata est, exhibeas oro. hoc namq; mihi maximo fœnori futurum confido: & si nō alia, saltem hac de causa, quòd xeniolo uno, & te & filium, & fratrem etiam, licet antea meos, arctiori beneuolentiæ uinculo mihi obstrinxero. Vale iterum atq; iterum.

ALCON

AD ALEXANDRVM GVARINVM uirum clarissimum, de Francisci Alfonsi fratris filij & Vrsinae Malchiauellae nuptijs.



VNC iterum agrestes Musae, coniungere cera
Vocales opus est calamos, nostrasq; docere
Syluas cōnubia laeta, & laetos Hymenaeos.
Aspicite ut dudum ducant per prata Napaeae
Nunc molles iterum choreas, ut gramine in alto
Nunc etiam uiridi redimitus tempora canna
Pan deus Arcadiae demulcet rura cicuta.
Illa dies uenit cunctis pastoribus, illa
Tot uotis optata diu, qua candidus Alcon,
Praesignis forma, praesignis sanguine auito,
Alcippen facie egregiam, & florentibus annis,
Et genere illustrem, Veneres quae spirat ab ore,
Et blandos oculis iactat radiantibus ignes,
(Hinc etenim tela atq; faces, & retia sumit
Mitis Amor, figitq; uiros, & uincula nectit)
Alcippen, cui prata uirent, cui pascua & omnes
Applaudunt saltus, cui rident numina blandùm,
Connubio ipse sibi iunxit, taedaq; iugali.
En ut Hamadryades, en ut quoq; Oreades unà

Alcippæ exultant, frondenti baccare cinctæ,
Et sociæ serta intexunt, & ueris honores
Lilia, purpureasq́; rosas, flauasq́; genistas,
Et molles uiolas, & purpureos hyacinthos,
Sponte ferunt placidæ per roscida prata Napææ.
En ut semiferi (syluestria numina) Fauni,
Et Panes cincti palmis, & uirgine lauru,
Egregio iuueni assurgunt, ut pascua complent
Plausibus altisonis, & multisono modulatu.
Hinc Idmon fido Alconi coniunctus amore,
Et pariter nymphæ consanguinitate propinquus,
Idmon nec syluis, nec nymphæ cognitus Idmon,
Et uarijs actus curis, sua gaudia uersat
Pectore sub tacito, mox & pro uiribus arua
Carminibus mulcet, biforesq́; ad carmina buxos
Inflat ouans, optat faustosq́; utriq; Hymenæos.
Huic nemus umbriferum, blandumq́; immurmurat unda
Dum canit, & uolucres uocum discrimina mille
Certatim effundunt, & uersicoloribus alis
Applaudunt cunctæ, & cunctæ sua gaudia monstrant.
Huncq́; diem choreis celebrant, & uoce canora
Eridani nymphæ, spumat properantibus ipsis
Fluminis unda nitens: muscoso & lætus ab antro
Vndarum ipse pater testatur gaudia uultu
Cæruleo, & geminas tendens ad sidera palmas,

Populea fronde & crines & tempora cinctus,
Talia uoce refert, summo prouectus in amne.
O læta ô nimium, nimium lux candida syluis,
O lux, ô nobis lux ô celebranda quotannis,
Qua pulchram Alcippen coniunxit pronuba Iuno
Alconi, pulchro Alconi, cui fistula collo
Iampridem pendet, septem compacta cicutis:
Alconi, numeris æquat qui grandibus ipsum
Iam patrem, egregium patrem, magnumq; Varinum,
Illum, in quo patris uirtus rediuiua resurgit,
Præclarusq; resurgit auus, qui carmina syluis
Cantat, quæ solitus si quando armenta uocabat
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Hunc almum, hunc ô, quæso, diem (si gloria cordi
Pastores uestra est uobis) celebrate fauentes,
Laudibus excipite unanimes, plausuq; secundo,
Idalia compti myrto, lauroq; uirenti,
Insolita syluis deducite carmina auena.
Namq; hoc nascetur claro de sanguine proles,
Qua decus amissum uobis, qua gloria nobis
Reddetur demum, tot iam quæsita per annos.
Hæc ait: huic blando respondant murmure ripæ,
Respondatq; illi latè de rupibus Echo.
Tunc hilaris sese currenti reddidit alueo
Eridanus, uitreis ipsum excepere sub undis

Naiades,

Illuxit, toties se mersit & aequore Titan.
Nec mihi quod dempum est, mihi nec mea munera praebet
Munera qui rapuit, nutat sine remige cymba
Aduersis quassata Notis, & fluctibus acta.
Optatos per te tantum contingere portus
Tuta potest, sine te laxis compagibus ipsa
Naufraga lethalem accipiet male saucia pontum.
Ergo iam subeas clauum, & tranquilla per alta
Duc (precor) ad portus, & tuto in littore siste
Concussam nauim: soluet tibi debita uota
His numeris, medio fiet quae littore tuta.
Praesidio seruata tuo iam naufraga puppis
Haec, Tassone, tibi ponit pro munere uota.

ILLVST. GALEAT. EST. TASSONO.

NON *te latet, quibus dolis aduersarij mei afficient, ut in hac turbulentissima tempestate, omnes concitati fluctus in me redundent, adeoq; submergant, ut nulla emergendi spes sit reliqua. Quapropter ne, ut olim Amyclas, nunc etiam me silentiũ perdat, ad* D. *Herculem Estensem principẽ nostrũ, rusticum hunc Thyrsim pro me legatũ mitto, ut ipse, re diligenter inspecta, me tam graui iniuria, praesertim nulla mea culpa cõflata, affici non permittat. Verum cum mihi persuadeam, ipsum principi nostro tuo praesidio gratiorem fore (scio enim quantũ apud illum tua ualeat authoritas) cum prius ad te mitto, teq; iterum atq; iterũ obsecro, ut ipsi hac in legatione usq; adeò praesto sis, ut nõ modò orator, sed exorator ad me reuertatur. Vale.*

THYR-

Ille hæc dißimulat, ueteris nec gratia facti
Me nunc ulla iuuat, quando is sine legibus ullis,
Nulla æqui forma, seruatoq; ordine nullo,
Ascriptum reliquis nostrum de cortice nomen
Abrasit falce incurua: sunt crimina nobis
Præceptis hæsisse tuis, doctißime Daphni,
Tu tantum scelus es nobis, habitasse urentes
Quos dederat saltus nobis tua dextera habendos:
Hinc flores gregibus teneris, hinc pabula læta
Porrexisse manu: nomen cecinisse beatum,
Et sanctum syluis nomen, dum fata sinebant,
Daphni tuum, hos fluctus, hos nunc mihi parturit ignes.
Ipse licet simulet causas, & crimina fingat,
Infensus nobis Aegon. Sed cum mihi tantum
Profueris Daphni, & summo decoraris honore
Quid non te obseruem? quid non tibi debita tradam
Munera? quid'ue tuos cineres? quid busta suprema
Semper honorata, & non sint mihi semper acerba?
Sic erit, hocq; animo est fixum, quòcunq; cadat res:
Nam cineres qui non amat, is non antea amabat.
Quò feror ô demens? quò nos uis iusta dolendi
Præcipites egit? quid prodest fingere inanes
Quas uenti rapiant uoces? tu maxime Thyrsi,
Nunc tantum faueas, ALCON tuus ut mihi fauit,
Ille ALCON, moriens tibi qui sua munera cessit.

In nos cum fureret quondam crudelius Aegon.
Pastorem defende tuum. Da maxime Thyrsi,
Pascere ut ante greges, nec te seruasse Menalcam
Pœniteat, quæso: namq; is non indecor ipsis
Seruatus fuerit syluis, tibi liba quotannis
Muneris ipse memor, tibi condita subere mella,
Castaneasq; nuces, & lecta ex arbore poma
Concedet, faueas modò tu charissime Thyrsi.
Quin & pastores, doctus quos afflat Apollo,
Vnà omnes mecum soluent pro munere grates
Aeternùm, & resonare dabunt tua nomina syluas.

FINIS.

CYNTHII

CYNTHII IOANNIS BAP. GYRALDI ELEGIARUM Liber unus.

IN FUNERE DELIAE DAmianæ Malchiauellæ socrus.



VID iuuat, heu, crebris cumulasse altaria donis?
Quidq; dedisse tuis mascula thura focis,
Phœbe Pater? si nunc ulta mihi charior ipsa
Eripitur socrus, febre perusta graui?
Ah ualeat quisquis medica confidit in arte,
Et putat assidua flectere fata prece.
Hæc nihil (heu) prosunt, cum nos mors impia poscit;
Nec tangunt magnos tunc pia uota deos.
Heu miseranda socrus, sic te mihi fata tulerunt?
Sic fera sic dempsit commoda Parca mihi?
Post patris occasum, post charæ funera matris,
Crudele, heu, fixit nil mihi corda magis.
Quin & morte tua prisci rediere dolores,
Et priscas ciuit mors tua mi lachrymas.
Nam mihi mater eras, sola & pia munera obibas
(Me miserum) patris, sedulitate tua.
Me me utinam letho comitem tibi parca dedisset,
Quæ mihi nunc uitæ stamina nigra trahit.

Nam tibi ut æterno clausit mors lumina somno,
Omnia iam tecum commoda nostra iacent.
Tu mea tu moriens turbasti gaudia socrus,
Et dempsti quicquid fata dedere boni.
Heu nimium in damnis properata heu funera nostris,
Morte tua nostra est tota sepulta domus.
At quamuis posthac uultus spectare serenos
Non liceat, rapuit quos mihi Parca nocens:
Vsq; eris ipsa tamen defixa in pectore nostro,
Hærebit cordi semper imago tua.
At nos interea, postquam sic funera poscunt,
Præparat & miseras mors tua mi lachrymas,
Soluemus pia iusta tibi, tristissima dona,
Debita sed cineri tristia dona tuo.
Et, si quid sentire potest, tibi paruus Olympus
Soluit uagitu qualiacunq; puer.
Tu cape purpureos, quos ipse, & Tharsia flores
Nata tibi miseras spargimus & lachrymas.
Pars animæ Damiana meæ, charissima socrus,
Et tristis natæ cura dolorq́; tuæ.
Aeternum felixq́; uale, decus addita cœlo,
Et genero & natæ perpetuæ lachrymæ.

D. M.

D. M.
DELIAE DAMIANAE MALCHIA-
VELLAE IOANNIS BARDELLI
OLIM VXORI OBSEQVEN-
TISSIMAE.
FOEMINAE INCOMPARAB. SIVE
PVDICITIAM CAETERASVE IL
LVSTRES FOEMINEAS IPSI-
VS DOTES SIVE QVEM
MVLIEBRI CORP. GESTABAT
VIRILEM ANIMVM
SPECTES.
QVAM ANN. NATAM XL. P. M.
(HEV IACTVRAM IRREPARAB.)
IMPIA FATA NOBIS INVI-
DERVNT.
CYNTH. IOANN. BAP. GYRALD.
GENERET FVLVIA THARSIA
FILIA CONIVGG.
SOCRVI ET MATRI DVCISS. NON
SINE LACHRYMIS MVLTIS OB
ACERBISS. ILLIVS DESIDERIVM
B. M. POSS.

Heu Damiana iaces: hic tecum sed iacet unà,
Delia, Amor, Charites, Iuno, Minerua, Venus.

PRO LVDOVICO BONACTIOlo primi nominis physico Soteria.

PHœbe Pater, superûmq; decus, lux maxima cœli,
Mundi oculus, per quem cuncta creata uigent.
Accipe odoratos, quos do tibi thuris aceruos,
Felix & sacra hæc quæ tibi uota paro,
Sancte ueni, cape dona libens, quæ debita saluo
Sunt Bonactiolo persoluënda mihi.
Aequum quippe fuit, longæ qui tempora uitæ
Præstiterat multis, eripuisse neci.
Nanq; hunc si extinxet sæui inclementia fati,
Maxima (crede) foret gloria rapta tibi.
Sanctius hoc nemo (quid enim manifesta negemus?)
Languida Pæonia membra leuauit ope.
Et tua quid ualeant ostendit munera solus,
Quamq; tibi cedat cætera turba deûm:
Ipsius ingenio cum ducta è faucibus orci
Dux nostra, atq; iterum penè renata fuit.
Vreret hanc etenim febris cum lethifer æstus,
Parsq; esset uitæ iam bona lapsa suæ,
Nec cuiquam quidquam spei superesset in urbe, &
Aula omnis miseris plena foret lachrymis,
Hic uirtute sua longæuam uiuere uitam
Reginæ, fato penè uetante, dedit.

Et quam

Et quam luxerunt omnes, hoc uindice gestat
Iuncta uiro casta sceptra uerenda manu.
Officijq; memor, tibi nunc pia munera soluit,
Atq; tuis urit thura Sabæa focis.
Teq; rogat mecum, longum quòd uiuat in æuum,
Qui dederat uitæ tempora longa sibi.
Eia age Nestoreos felix fac expleat annos,
Et Parcæ huic semper candida fila trahant.
Sic tua sic superent fulgentia lumina nubes.
Sic rutilus niteat semper in ore decor.

AD IOANNEM MANARDUM pro Olympio filio seruato.

QVod me sis semper patrio complexus amore,
Faueris & uotis docte Manarde meis,
Quod dederis pridem Phœbeas ire per artes,
Et morbis medicas posse adhibere manus,
Ingenti tibi me deuinxti munere: sed quod
Mortali poßim soluere gratus ope.
At quòd nunc ægrum natum, lethoq; propinquum,
Dempseris arte tua, præsidijsq; neci:
Non hominis certe, cœlesti at munere uinxti
Me tibi, quod meritis non soluisse queam.
Nunc demum Hippolytum reuocatum à manibus imis
Credimus, exemplo docte Manarde tuo.

Hæc ope ſic diſcant alij ſuccurrere morbis,
Semineceſq; neci demere poſſe uiros.
Sic tibi det Phœbus felicia tempora, ſic'q;
Cumanæ felix ſecula uatis agas.
Namq; ut ſol mundo decori eſt, & lumine dempto
Ipſius, in terris ſqualida cuncta tacent:
Tu quoq; ſic noſtri es ſolus lux maxima ſecli,
Extincta & tecum gloria noſtra foret.
Quare age Phœbe precor, huic annos annue longos:
Huius enim ingenio crederis eſſe deus.

AD COELIVM CALCAGNINVM.

CVm mare nimboſis miſcetur flatibus, & cum
Fluctibus aſsiduis horrida ſeuit hyems,
Nulla audet puppis tumido ſe credere ponto,
Aequoris undiſonis non bene tuta uadis.
Sed poſtquam pelagi cecidit fragor, æquora poſtquam
Tuta ſilent, nullis exagitata notis,
Tunc remos, tunc uela parat, tunc littore ſoluit,
Tunc audax medium per mare currit iter.
Sic ego nunc COELI, curis grauioribus actus,
Non auſim ſolita tangere plectra manu:
Aut Aganippeis haurire è fontibus undas,
Alta'ue Parnaſi montis adire iuga.
Sed mihi ſi faueat toties oratus Apollo,
Leniat ut curas ſors male fida meas:

Te sequar Aonij super ardua culmina montis,
Et residis repetam fila canora lyræ.
Quam mihi tu dederas leui percurrere dextra,
Vt rudibus possem iungere fila modis.
Tu uero interea, dum nos male uexat Erinnys,
Et rerum uario turbine sollicitat,
I precor, i felix Cynthi per amœna uireta,
Et dulces docto pectore funde sonos.
Atq; precare dies nobis post nubila lætos,
Et tantis finem sollicitudinibus.
Sic tibi concedant felicia secla sorores,
Candida perpetuo sic tibi fila trahant.

IN PERFIDVM DEtractorem.

ECquid uirosis nostras conferre tabellas
Pergis? ab insonti quid mala facta petis?
Sic sceleris fontem facilis mihi prodat Apollo,
Vt scelere hoc nostra est non temerata manus.
Vtq; ego non ullum mordaci carmine læsi,
Sic superent nigros nomina nostra rogos.
Hæc nescit Cynthi castissima condere Musa,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Non mea non tali mens est obnoxia culpæ,
Nec læsit magnos pagina nostra uiros.
Nec uos læserunt castæ mea carmina matres,

Sint licet impacta haec crimina fœda mihi.
Est nobis Phœbus testis, Ferraria testis,
Testis uita uiris cognita nostra probis.
Tuq; fores testis, premeres nec nomen amici,
Ni tibi fictus amor, ni simulata fides.
Desine Mome loquax rhonchos agitare sonantes,
Desine sacrilega bella mouere manu,
Desine harenosum proscindere littus aratro,
Iungere gryphes equis, uel dare frena boui.
Non bene conueniunt nostris, mihi crede, libellis,
Infami quae sunt uerba notata manu.
Sanguinolenta meas inter tot litera chartas
Haud unquam (ut nosti liuide) lecta fuit.
Et mihi ni pugnae causam scelerate dedisses,
Omne foret Musae carmen inerme meae.
Perfidia nunc ipse tua tibi cogis amicum,
Acria pugnaci bella mouere pede.
Quare age iam tandem uoces compesce malignas,
Disceq; iam sanctè, si potes, ipse loqui.
Si potes, ipse mihi tenebras offundere cessa,
Non obsunt famae crimina falsa meae.
Imò quem tentas lethaeas mittere ad undas,
Spem serae clarus posteritatis habet.
Nunc scelere atq; tuo uiuax, expersq; sepulchri
Est factus, famae quem rapuisse putas.

Sat mare

Sat mare turbato uentis agitata carina est,
Satq; fuit uotis sors inimica meis.
Nunc mitis spirat Zephyrus, nunc aura secunda est,
Nunc tanget portus, te renuente, ratis.
Nam mihi quod tentas fallaci impingere lingua,
Ipse author propria prodidit arte scelus.

IN EVNDEM.

Perfide, te'ne etiam gemina comitata sorore
Tisiphone colubris urget acerba suis?
Non satis est, duce te falsum quòd crimen inustum
Sit mihi, quod nomen perderet usq; meum:
Sitq; foro in medio non parua iniuria nobis
Illata, & culpa perfide Mome tua?
Ni mihi nunc etiam tentes offundere nubes,
Bellaq; mendaci uoce mouere pares?
Sancta fides ubi nunc? ubi nunc pia munera amoris?
Et toties pacti iura sodalitij?
Perfide, amicitiæ iunctus si fœdere, labem
Impingis falsi criminis usq; mihi,
Qui tua perpetuæ mandaui nomina famæ,
Lethæisq; dedi facta nefanda uadis.
Quid? tua nouissem ni turpia crimina: quid'ue,
Esset parte aliqua si mea lapsa fides?
Sed quid agis demens? iam me pia numina Musæ,
Numina carminibus non temerata meis,

Tutantur

Tutantur, Phœbusq́; pater mea nomina seruat
 Intacta, & claro lucidiora die.
Vtq́; omnes quondam (quos sacro numine Apollo
 Afflauit) damnis ingemuere meis,
Optaruntq́; omnes sceleris cognoscere sontem,
 Quo nota ab insonti dempta maligna foret,
Vt meritas lueret tanto pro crimine pœnas,
 Authorem & peterent facta nefanda suum:
Sic postquam uoluenda dies nunc attulit ultro,
 Quod posset nemo uix tribuisse deûm,
Et mihi quàm fuerit mens æquo proxima semper,
 Prodidit indicio noxius ipse suo,
Nunc pariter Phœbo lætum pæana canentes,
 Lætantur tantum non latuisse nefas.
En meus ALCIDES, patriæ dominusq́; paterq́;,
 Gaudet honorata tangere plectra manu.
Et qui Phœbea redimitus tempora lauro,
 Cœlius, æterno digna Marone canit:
Cœlius, in quo uno est (liceat mihi uera fateri)
 Quæcunq́; Ausonia Graiaq́; lingua dedit.
Atq́; impar nulli numeris, nec uoce Guarinus,
 Soluit lætificis ora diserta modis.
Quiq́; audet cycnis dulci contendere cantu,
 Prosper Apollinei gloria rara chori.
Actiolusq́; puer, Phœbeis altus in antris,

Nescio quid solito grandius ore sonat.
Lilius & noster, quo nunquam dignius alter
Concinuit docta carmina digna lyra:
Seu molles elegos scribat, seu barbita pulset,
Concinat autem plectro Martia gesta graui.
Bentiuolusq; sacra redimitus fronde capillos,
Pierium læto spirat ab ore melos.
Ferrinusq; meus, suetus super ardua Cynthi
Ire iuga, & sacri sumere fontis aquas.
Flauius & frater, paruum quem matre cadentem
Excepit blando Musa benigna sinu.
Quem pridem Phœbus cythara dignatus honora est,
Vt tendat recta clarus in astra uia.
Ne'ue omnes memorem: nobis nunc gaudia promit,
Quisquis Castalijs ora rigauit aquis.
Liuide, tu tantum, quem dedignatur Apollo,
Et uetat Aonio fonte leuare sitim,
Virus atrum, tetramq; luem de pectore fundis,
Et rabido profers uerba canina sono.
Et tabulis tabulas confers, tentasq; aliena
Perdere me culpa, garrulitate tua.
Mome, tibi infecta est lethali lingua ueneno,
Cui nisi mature consulis, ipse cades.
Sed dare si nescis tanto medicamina morbo,
Hæc peragas, Cynthi quæ tibi uerba sonant.

Rode tibi linguam, quæ latrat mordicus: & sic
Aeger qui fueras, hac ope sanus eris.
Parcite Pierides, læsi si numina uestra,
Gessimus inuicta bella cruenta manu.

IN TVMIDVM ARCHEMORVM.

ARchemore obrueris, uana hinc tibi somnia fingis,
Meq́; putas demens uerba aliena loqui.
Non mihi mansa aliquis, quisquam nec uerba ministrat:
Nam mihi sunt dentes, sunt mea uerba mihi.
Nec mihi lingua procax, mihi nec maledicta referre
Mos fuit: Archemorus, si quid id est, docuit.
Namq; tibi dederant magnas mea carmina laudes,
Ipse tamen reddis uerba canina mihi.
Scribis & indoctis insulsa epigrammata chartis,
Et latrans uirus fundis ubiq; tuum.
Atq; cies pugnam, fugio certamina: namq;
Nulla mihi tecum gloria, nullus honos.
Instas ipse tamen, tetrica & me uoce lacessis,
Et iactas uires, & noua bella moues.
Inuictumq́; trahis: sed uix distringere ferrum
Incœpi, tibi cum concutit ossa tremor.
Et uallo in medio cunctis mirantibus hosti
Das terga, & clypeum proijcis Archemore.
Pòst uerba ordiris, nugas & fundis inanes,
Et forti iactas parta trophæa manu.

I precor, i tandem, disce & quid prælia poscant;
Quàm fuerat satius conticuisse tibi.
Ast ipse interea, iaceat ne uiuida uirtus,
Qua illustre Archemore tollis in astra caput,
Clara trophæa tibi ponam, hæc & carmina subdam,
Queis uigeat nomen semper in orbe tuum:
Qui se iactarat pridem uicisse Gigantas,
Prò pudor, Archemorus uelite uictus abit.

DE FELICI HERCVLIS ESTEN. II. in patriam reditu.

HVc agite ô Musæ, uocales tangite chordas,
Et decorent uestras laurea serta comas.
Spargite humum folijs, prætexite flore capillos,
Aoniumq; nemus nil nisi læta sonet.
Huc ades ô uatum numen placidissime Apollo,
Et doctæ libeat fila mouere lyræ.
Dicite io Pæan, ter mecum dicite Pæan,
Huc agite, æterno soluite uota Ioui.
Lux etenim precibus tantis uotisq; petita
Aduenit, sacras inter habenda mihi.
En meus ALCIDES, patriæ dominusq; paterq;,
Iam pridem optatum spargit in urbe iubar.
Et modò quæ dempto squallebant omnia Rege,
Illius aduentu facta serena nitent.
Cœlius en noster, cuius de pectore manant

Ambrosij rores, nactareusq́; lepor,
Pieria cinctus lauro de more capillos,
Iam niueum docto pollice tangit ebur.
Vtq́; duce absente illius modò Musa solebat,
Carmina nunc læto pectore docta canit.
Memnonis & matrem felici uoce salutat,
Hercule uicino quo uehat alma diem.
Ad cuius numeros & uocem cuncta resultant,
Et dant lætitiæ maxima signa nouæ.
En pater Eridanus uelatus tempora fronde
Populea, placidum tollit ab amne caput.
Miratur Regem inuictum, miratur alumnum,
Atq́; suum gaudet iam redijsse decus.
Sic uiso flauus uicta Carthagine Thybris
Scipiade, rapidas parcius egit aquas.
Quin ipsæ turres, & tecta superba domorum,
Huius in aduentu sunt prope uisa loqui.
Et uerno sese uestiuit terra colore,
Dum uidet incolumis principis ora sui.
Nec tantum tellus, sed cœlum, sidera, & aër
Gaudia sunt hilari testificata sono.
Iuppiter est nato reduci gauisus, ut ante
Hoc ipso imperij suscipiente decus.
Aureus æquoreis sol clarior exit ab undis,
Auricomum spargēs lumine in orbe iubar.

Vos etiam

Vos etiam liquidum ſulcantes aëra pennis,
Alcidæ blandùm concinuiſtis aues.
Et matres iuuenesq́; ſimul, populusq́; patresq́;,
Felici plauſu compita cuncta replent.
Vtq́; expectato bis denos ante per annos,
Lætata eſt reduci Penelopea uiro:
Regia ſic coniux, caſtis comitata puellis,
Læta uiro incolumi dat pia thura focis.
Iunoni ſua dona offert, ſua dona Tonanti,
Atq; tibi Cyprias dat Cytherea roſas.
Exhauſtæq́; uiæ dum uir diſcrimina narrat,
Hæret in obtutu diua Renata uiri.
Ipſaq́; narrantis pendet lætiſſima ab ore,
Atq; oculos ſpectat, compoſitumq́; caput.
Et cupidis nectit Regalia colla lacertis,
Baſiaq́; amplexu iungere ſæpe iuuat.
Quoq; magis fuerat curis grauioribus acta,
Præſenti hoc ipſa eſt nunc mage læta uiro.
Lætantur fratres ambo, uirtutibus ambo
Inſignes, factis clarus uterq; ſuis.
Applaudunt paruusq́; puer, maiorq; puella,
Inq́; ſinu reptant, ſarcina grata patris.
Hunc ambo dextra attrectant, huic oſcula figunt,
Et manibus teneris pectora chara fouent.
Quin & quæ abſenti nata eſt nunc parua parenti,

Gaudia uagitu qualiacunq; refert.
Sic ridet, Dux alme, tibi formosus Olympus,
Sideraq́;, & toto quicquid in orbe nitet.
Nec minus ipse tuo lætaris sospite regno,
ALCIDE, magnis non leue nomen auis.
Salue chare pater patriæ, spes maxima regni,
Salue lux generis, præsidiumq́; tui.
Macte animo inuicto laus accessura parenti,
Aeterni soboles nunc rediuiua Iouis.
Di faciant, dextro uenisti ut sidere in urbem,
Pacata teneas sceptra paterna manu.
Et pia fata, precor, felicia uota secundent,
Aspiret cœptis Iuppiter usq; tuis.
Tu uero, innumeris nos qui iactamur ab undis
Respice, & irato subtrahe uela mari.
Da tandem nobis tot sæuis fluctibus actis,
Auspicio portus tangere posse tuo.
Sic tibi contingat faustis gaudere triumphis,
Vincereq́; inuicta monstra superba manu.

EPITHALAMION THOMAE Manfredi, & Bartholomææ Bentiæ.

Atlantis Manfrede teris dum limina Hetrusci,
Noscere quo posis lumina clara poli:
Risit Amor, pariterq; Venus subrisit Amori,

Et se

Et secum: Nobis hic quoq; miles erit.
Obijciuntq; tibi cœlestia uirginis ora,
Qualia uiderunt secula nulla prius.
Et tibi: Quid, demens, miraris lumina cœli?
Quod mirere magis hæc tibi forma dabit.
Huc geminas iam flecte acies, iam lumina nosce,
Lumina quæ possent sollicitare Iouem
Hanc dum tu spectas, pendes dum totus ab illa,
Excipis accensas corde tepente faces.
Et qui stellarum quærebas noscere cursus,
Et cœli motus sedulitate noua,
Miraris uultus castos, niueasq; papillas,
Pectoraq; hyberna candidiora niue.
In facie totusq; hæres, & lumine flagrans,
Sideribus præfers uirginis ora tuæ.
Et tecum dixti: Quid quæro sidera cœli?
Lumina non hæc sunt lucidiora polo?
A Veneris facie non est prior ulla: nec illa
Distat ab hac multum, sit licet ipsa Venus.
Hanc spectans Phrygius, spreuisset & ora Lacænæ,
Dignior hæcq; ipsa uisa rapina foret.
Hacq; magis forma potuit Calydonius heros
Vri, quàm flammis ô Tegeæa tuis.
Tuta foret Danaë: diti nam quæreret imbre
Iuppiter, hanc potius conciliare sibi.

 Sic len=

Sic longumq; bibens oculis male ſaucius ignem,
Figis in oppoſitis lumina luminibus.
Et cupis amplexus, atq; oſcula figere labris,
Stringereq; amplexu lactea colla tuo.
Atq; preces Hymenæo *offers, & munera ſupplex,*
Iungat ut ipſe tibi quam tibi iunxit Amor.
Tum ſubito afflarunt iuſtis pia numina uotis,
Nam toto excepit pectore uirgo deum.
At poſtquam illa rudis primo ſe ſenſit ab æſtu
Vri, non notis ignibus obſtupuit.
Nec calor ille ſibi, nec quid ſuſpiria poſcant,
Scire ualet, nec quid ſaucia corda uelint.
Quid cupiat neſcit, nulloſq; intelligit ignes,
Aſt oculis optat ſola placere tuis.
Inſinuat ſæuus paulatim ſe oßibus ardor,
Quidq; queat monſtrat non bene nota Venus.
Exurit mollis penitus nam flamma medullas,
Quam ſimilem Aethneis *ignibus eſſe putes.*
Hinc ſæpe ex imo mittit ſuſpiria corde,
Sæpe uocat nolens nomina chara ſibi.
Vox ſæpe in medio liquit ſermone loquentem,
Et ſolitus roſeo fugit ab ore nitor.
Non calathi, non penſa ipſi, non ſtamina curæ,
Non colus, aut fuſi, quos aboleuit Amor.
Quin & acus ſtudium, & doctæ monumenta Mineruæ,

Languenti fugiunt protinus ex animo.
In te omnis Manfrede tuæ ſtat cura puellæ,
Figit & in te oculos igne peruſta graui.
O quoties ſpectans te toto expalluit ore:
Monſtrauit quoties ſaucia corda rubor.
O quoties dixit: Si qua hæc pia numina curant,
Iſta iuuet flammis conſuluiſſe meis.
Optata & quoties ſecum connubia poſcit,
Et felix tali coniuge, dixit, ero.
Sed non paſſus Amor fruſtrari eſt gaudia ueſtra,
Et caſto iunxit uos Venus alma thoro.
Optatasq; tulit tædas tibi pronuba Iuno,
Præbuit & nuptæ flammea caſtus Hymen.
Hinc myrti in foribus pendent, & laurea ſerta,
Fragrat & Aſſyrio culta uapore domus.
Virgineusq; chorus iuuenum, & lectiſsimus ordo
Iam ſimul inclamant, teq; Hymenæe uocant.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, Hymenæe uenito,
Hymen io properes, ô Hymenæe ueni.
Ornatur Manfrede tibi, tibi nupta paratur,
Virginem & optatam iam tibi ducit Hymen.
Iuno comes, Venus, & Charites, & blanda Voluptas,
Et ſedet in niueo caſta Diana ſinu.
Omnia plena iocis iam ſunt, felicia cuncta,
Te uocat in thalamos ſæpe uocatus Hymen.

O te felicem; cui coniux contigit uni,
Cui non ulla unquam secla tulere parem.
Siue animum spectes, seu raræ munera formæ,
Seu quod uirgineo fulget ab ore decus.
Si genus, & ueterum spectes monumenta parentum,
Clarior haud unquam sanguine in urbe fuit.
Si patris dotes, tu certe dixeris, hic est
Bentiadæ gentis qui decus omne tulit.
Cum talem dederint igitur tibi sidera nuptam,
Quid tenui cessas deligere ungue rosam?
Eia age rumpe moras, tenerum iam collige florem,
Gaudia ne tantum (lente) morare tua.
Lætus Hymen Manfrede tibi tua basia profert,
Basia, quæ fuerant mille cupita procis.
En zonam nuptæ Manfrede Diana resoluit,
Inijce iam cupidas in tua iura manus.
Mitis Hymen, Iunoq; comes tibi stragula sternit,
Optato tandem quo potiare sinu.
Suspirat uirgo amplexus, sua gaudia poscit,
Iamq; cupit lateri conseruisse latus.
Vesper adest, cessas quid dudum carpere florem?
Te manet in thalamo nupta pudica suo.
Claudite iam postes, potiantur munere lecti,
Detq; uiro tenerum nupta puella femur.
Sparge marite nuces, Veneris dum gaudia sumis,

Ludit & in tepido nuda puella sinu.
Tu quoq; nunc Veneris lusus castissima uirgo
Exerce, his rixas implicuisse iuuet:
Non quas ira ferox moueat, sed concitet ipsas
Ausa aliquid tandem non bene docta manus.
Iam solitum iam pacta uiro depone pudorem:
Quid tua, quid differs gaudia lenta uiri?
Qui tibi se uouit, qui te ueneratur, amatq;,
Cui uita & geminis charior es oculis.
Coniugis amplexus Lucretia casta petiuit,
Seq; dedit cupido Penelopea uiro.
Te decet hoc etiam, Veneris iam gaudia carpe,
Quæ tibi mille parat gaudia, mille uiro.
Ludite iam pueri pariter, sudate medullis,
Soluite concordes debita iura thoro.
En simul implicitis dant mutua basia linguis,
Consertis repetunt sæpius illa labris.
Amplexus hederas, & murmura grata columbas
Vincunt, dum ludunt læti in amore pares.
Quare agite ô iuuenes, uos ô gaudete puellæ,
Optate & uotis commoda grata suis.
Vtq; uigil roseos tardet Thaumantias ortus,
Lucifer optatas præstet utriq; moras.
Sic uobis sit mitis Hymen, sic gaudia uestra
Accelerent oro numina magna deûm.

Ipse ego quod cupio, syncero pectore poscam,
  Viuant unanimes secula longa simul.
Ducant concordes felici sidere noctes,
  Sintq; dies fausti, sit sine lite thorus.
Suscipiant ipsis prolem genitoribus æquam,
  Et uigeat semper firma in utroq; fides.

IN FVNERE IOANNIS MAnardi præceptoris optimi.

Ergo'ne crudelis rupit tua stamina Parca?
  Tantum etiam potuit dira patrare nefas?
Ergo te urna breuis claudit, quem fama perennis,
  Fert celebrem latè docta per ora uirûm?
Quid colluisse iuuat medicas nunc puriter artes?
  Quid Phœbum cunctis præposuisse deis?
Stemmata quidúe tibi? quid auûm generosa propago
  Profuit? aut ostris inseruisse caput?
Si te, sancte senex, duri inclementia fati
  Sustulit, & campos misit ad Elysios.
Iam nil sub cœlo est firmum, sors ómnia uersat,
  Spesq́; hominum cæcas mors inopina rapit.
Namq; ego te extinctum, extinctum te cerno Manarde,
  Quem toties timuit mortis acerba manus.
Quem fore perpetuum terris (si fata tulissent)
  Sperabam, aut Pylios uiuere posse dies.

I nunc,

I nunc, atq; hominum quæras producere uitam,
Pæoniæq; arti consuluisse iuuet.
Virtuti confide tuæ: iacet ecce Manardus,
Ille decus nostrum, præsidiumq́; iacet.
Hinc Medica ars languet tristis, tumuloq́; parentat
Vindicis & deflet fata suprema sui.
Nec Medica ars tantum tristis tua funera luget,
Et quæ te excoluit semper amica cohors:
Squallidus at Phœbus fusis per colla capillis,
Et mœsta obtundens pectora sacra manu.
Vt quondam luxit crudelia funera nati,
Nati, quem terris abstulit ira Iouis:
Quod Virbi extincti manes reuocarit ab Orco,
Præstiterit uita morte negante frui.
Assiduo incusat gemitu crudelia fata,
Et cubat ad cineres nocte dieq́; tuos.
Et merito. eripuit nam nobis te inuidia Parca,
Cuius ope is fuerat creditus ante deus.
Morte tua Podaliri olim defecerat artis
Inter mortales pars bona Apollineæ.
Sed dedit ut letho magnum Libithina Manardum,
Quicquid erat reliqui, morte sua interijt.
Prò sortem miserandam hominum, proq́; impia fata,
Præsidium uitæ sustulit hora breuis.
Sustulit hora breuis spes nostras, Atropos & nunc

Impune, heu, nobis bella inimica mouet:
Bella inimica mouet, longasq; ulciſcitur iras,
Nec timet ullius ſæuior uſq; manum.
At tibi mors inuiſa nihil dedit ipſa dolendum,
Illa mali nobis cauſa maligna fuit.
Tu uenerande ſenex, terris colis aſtra relictis,
Et quæ mente prius nunc leuis aſtra ſubis.
Atq; animas inter diuas, cœtusq; beatos,
Tranſactæ uitæ præmia digna legis.
Authore atq; tuo, fragili compage ſolutus
Nunc frueris, ſummo gloria magna polo.
Felices animæ, quibus is ſuper ardua cœli
Tecta comes, tecum uel quibus eſſe licet.
Morte tua hæ gaudent, noſtris ditantur auaræ
Damnis: at nobis flebilis umbra iaces.
Hinc nos infelix turba, & male ſana propago,
Vexamur curis, prò dolor, uſq; nouis,
Et nos ſæua mali torquent contagia morbi,
Nec datur, heu, lætum uiuere poſſe diem.
Quare agè ſancte ſenex, nitidi nouus incola cœli,
Lumine qui raro clara per aſtra micas,
Si te nunc tangit noſtræ pia cura ſalutis,
Nec ſurda iuſtas negligis aure preces,
Reſpice nos quæſo felici lumine, quosq;
Dilexti in terris, nunc quoq; diue foue.

Pelle

Pelle atras pestes, lethales discute morbos,
  Et misero generi non leue numen ades.
Sic tua diuinos tibi det Ferraria honores,
  Sic soluat cineri debita iusta tuo.
Aeternumq; tibi sic uer, sic cinnama surgant,
  Et pariat flores nigra fauilla nouos.
Ast ipse interea tumulo hæc tibi carmina figam,
  Grati animi & mœsti pignora certa mei.
Hoc iacet in tumulo tecum medicina, Manarde,
  Alterutrum haud potuit nam dare Parca neci.

AD IOANNEM BAPTISTAM Cananum, discipulum amantissimum.

IAM satis indultum est Genio, iam munera poscunt
  Te tua, iam celeri est urbs adeunda pede.
Torrida adurebat radijs dum sirius arua,
  Fas fuit à studijs te cecidisse tuis:
Alterna ut requie posses assumere uires,
  Promptius, & ueris inuigilare bonis.
Cum uero autumno mixtum det bruma teporem,
  Cur etiam ruri lusibus ipse uacas?
Non satis apta tuis sunt rura uirentia cœptis,
  Si bene coniectes quæ sibi rura petant.
Agricola hic terram curuo proscindit aratro,
  Et rastri aßiduo pondere pulsat humum.

Hicq;

Hicq; premit molli pedibus sua musta Lyæo
Vinitor autumni hic munera grata legit.
Ille suas ducitq; boues ad pabula læta,
Hic pecudes molli uimine lentus agit.
Ast alius putri committit semina sulco,
Vt largo hinc crescat fœnore culta seges.
Et rostro rapiant ne auidæ frumenta rapaci,
Hic sonitu aßiduo, uoceq; terret aues.
Illis insidias, illis & retia tendit,
Et uisco incautas fallere sæpe parat.
Alter ne nimia semen putrescat ab unda,
Deducit riuos prosilientis aquæ.
Viminibus textam segeti prætendere sepem
Hic parat, horrentes urereq; igne rubos.
Inserit ille pyros, paritq; hic ordine uites,
Hic steriles ramos luxuriemq; secat.
Hic nemora & saltus, atq; horrida lustra canum ui
Sollicitat, sæuas doctus adire feras.
Hicq; breui nihil est, quod te ad tua munera poscat,
Non ullus cœptum qui tibi pandat iter.
Adde quod & Satyros, & rustica numina Panes,
Capripedes Faunos hæc loca ferre solent.
Quod ruber hortorum custos his fingitur aruis,
Non dea quam mentis fudit ab arce pater.
Sed colit ipsa olim Pallas quas condidit arces,

Nec

Nec decet hanc humiles incoluisse casas.
Dixeris, Admeti pecudes formosus Apollo
Pauit, & è claro uenit in arua polo.
Atq; huc è nitidis descendit Iuppiter astris,
Et campo in medio est passa puella Iouem.
Rus quippe incoluit (quid enim manifesta negarem?)
Et teneros Titan duxit in arua greges.
Sed qui tunc Phœbi uultus, qui fulgor in ore?
Quantum ille à se ipso uisus abesse fuit?
A quoties illum ut uidit Latonia uirgo
Ducentem pastas flumina ad alta boues,
Ingemuit fratri, casu perculsa maligno,
Signauitq; illi feruidus ora rubor.
Non erat ille etenim, qui lampade cuncta gubernat,
Auricomus penitus cesserat ore nitor.
Quaq; erat assuetus duros frenare iugales,
Nodosi baculi dextra ferebat onus.
Et pater ipse deûm coluit dumosa uireta,
Sed rogo, quæ facies tunc erat illa Iouis?
Errantem hunc medios cum Io est perpessa per agros?
Cum ficto Europa est per mare uecta boue?
Cum Satyrum hunc sensit gemino Nycteida fœtu?
Cumq; caper niuei uir gregis ipse fuit?
Non ea qua è summo iaculatur fulmina cœlo,
Non qua consueuit dicere iura deis.

Ergo si amisit lumen per pinguia culta,
  Mundi oculus, quo non clarior ante fuit:
Siq; ipsum rapuere sibi tunc arua Tonantem,
  Illi nec quicquam quod Iouis esset erat:
Te eripient sic ipsa tibi, lumenq; relinquet
  Te laudis, nisi tu mœnia culta petas.
Nec mihi Serranum sulco læta arua serentem
  Obijce, non ætas quos prior illa tulit.
Namq; alios poscunt mores sibi secula nostra,
  Atq; alia est nobis nunc patefacta uia.
Chaoniæq; olim ut glandi successit arista,
  Et puro uicta est uitrea lympha mero:
Sic abiere rudes etiam de pectore mores,
  Nobiliorq; uiris uita parata fuit.
Et quæ omnes quondam decuere, hoc tempore tantum
  Semiferos homines rustica facta decent.
Et licet ipse Maro diuos laudarit agrestes,
  Augusti coluit tecta superba tamen.
Maluit idem etiam regali accumbere mensæ,
  Quàm propter riuum semper euntis aquæ.
Et docuit potius leges artemq; colendi,
  Quàm putres glebas uerterit ille boue.
Adde etiam, quod tristis hyems adoperta pruinis
  Imminet, & syluis bella inimica parat.
Antè igitur campos ingens quàm frigus adurat,
  Et Boreas gelido ducat ab axe niues,

Linque arua, agricolis ualido frangenda bidente,
Et reduci gressu huc ad meliora ueni.
Te rogat hoc genitorq́; tuus, te Cynthius orat,
Si pondus Cynthij uerba precantis habent.
Nec minus hoc poscit uotis Antonius abs te,
Qui cepit rerum pandere cæca tibi,
Ille decus summum, & secli noua gloria nostri,
Verus honos patriæ, lux generisq́; tui.
Aspice quàm læto hic tollatur ad æthera plausu,
Quàm clarus uolitet docta per ora uirûm.
Nec credas talem florentia rura tulisse:
Non tales possunt hæc loca ferre uiros.
Nec quod de aucupijs uolucrem, aut uenatibus usq;
Quæsierit sæuas comminus ire feras,
Naturam nouit, cœli non aurea regna,
Nec stellis numerum tradere posse suum,
Gloria perpetuo est illi quæsita labore,
Et uigili studio uexit in astra caput.
Hæc eadem sectanda tibi est quoq; semita cursu,
Vt uenias quò te iam tua cœpta uocant.
Si qua igitur laudis tangit te cura futuræ,
Aeterniq́; tibi nominis ardor inest:
Et causas rerum, & naturæ arcana tueri,
Atq; tuum antiquis addere nomen auis,
Quos tua progenies longo tulit ordine claros,

Seu belli

Seu belli ſpectes munera, ſiue togæ,
Huc propera, & luſus, quos fert maleſuada uoluptas,
Linque oro, & prudens ad meliora redi.
Nam duri ut grauior pars eſt exhauſta laboris,
Vltima ſic ſupereſt meta terenda tibi.
Vt tibi perpetuam parias per ſecula famam,
Nec rapiat nomen nigra fauilla tuum.

FINIS.

CYNTHII

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI Epigrammaton Liber primus.

AD D. HERCVLEM ESTENSEM II.



CVM Martem Musis, Musas coniungere Marti
Te iuuet, & deceat munus utrumq; Ducem:
Nam Musis ferro seruat grata otia Mauors,
Pegasides'que inter Martia signa iuuant:
Nunc ego, quo Martis poßis lenire labores,
Hæc dono Aonijs uerba coacta modis.
Et quamuis non sint te principe munera digna,
Principe qui Phœbo carmina digna facis:
Tu tamen hæc placido capias, rogo, carmina uultu,
Synceræ fidei pignora certa meæ.
Et cum depones clypeum, Dux Maxime, & hastam,
Quæ mea Musa dedit, qualiacunq; legas.

Sic tibi circumdet felicia tempora laurus,
Laurus honos belli, gloria summa togæ.

IN INVIDVM.

Mome, licere negas nobis per florida Cynthi
Ire iuga, & sacro fonte leuare sitim.
Sed male coniectas, uates Thymbræus Apollo est,
Pœonia & morbos subleuat ille manu.
Est pulchrum Musas medicis coniungere rebus,
Hæc bene qui iungunt, hos bene Phœbus amat.

DE D. HERCVLE
Estensi II.

Terribilem gereret summa cum caßide cristam
Dux meus, & forti stringeret arma manu;
Obstupuit Mauors, dixitq;: ut Thracia Marte
Gaudet sic gaudes Ausonis ora tuo.

DE SOLONE PHILOSO-
pho & Venere dea.

Palladis afflatu patriæ dum conderet olim
Iura Solon, illi candida Cypris ait:
Quid sequeris, demens, plena hæc monumenta laboris?
Cur placidum numen non colis ipse meum?
Forte piget coluisse Cyprin. Tritonia nobis
Est longe inferior, iudice uel Paride.

Huic

Huic senior: Phrygio si mens non læua fuisset,
Non esset flammis Troia cremata tuis.
Tu uero ne, quæso, iterum me iudice certes:
Nam tibi non cedent aurea poma, Venus.
Me iuuat iste labor, uera hic parit otia sudor:
Otia sed flammas, quæ facis ipsa, ferunt.

AD PETRVM.
Bembum.

THusca tuo debes Petrarchæ Musa parenti
Multum, Bembææ sed magis una lyræ.
Namq; is te genuit, Bembus reuocauit ab Orco:
Illud mortale est, hoc reor esse dei.

AD EVNDEM.

ORpheus Eurydicem fidibus reuocauit ab Orco,
Abstulerat misero quam properata dies.
Tu quoq;, quæ occiderat, reuocasti à manibus imis,
Dulcisono Thuscam carmine, Bembe, chelym.
Orpheus hinc merito es mihi tu, cui laurea cingunt
Serta caput, per quem gloria Thusca uiget.

DE IOVE ET AMORE.

PAsceret armenta Admeti cum pulcher Apollo,
Iuppiter, Ecquis (ait) sparget in orbe iubar?
Huic Amor: Ille, inquit, qui cœlum & sidera rexit,
Fulmine dum posito tu quoq; pastor eras.

DE FABRO MERETRICIS domum colente.

E Ste procul miseri, procul ô discedite amantes,
Hinc struit insidias Mulciber, inde Venus.
Hæc oculis animum capiet, uos tegmine ferri
In medijs capiet Lemnius ipse iocis.

DE D. HERCVLE ESTEN. II.

V Idit ut Alciden cœlo Saturnia ab alto,
Gestantem forti regia sceptra manu,
Immemor irarum, dixit: Pulcherrime rerum
Esse tibi poterat quàm bene Iuno parens.

AD IO. STANCHARIVM OPTI mæ spei adolescentem.

N On mea fatidica est, ut Apollinis inclyta uirtus,
Nec dant Pegasides munera larga mihi.
Cynthius ipse uocor: nam quæ mihi lumine flammas
Subdidit, hoc nomen, perfide dixit, habe.
Sim tibi Stanchari Gyraldus, Cynthius illi,
Nec tibi tunc uates, nec tibi Phœbus ero.

AD QVENDAM.

P Arua ego do paruus, da grandis grandia paruo,
Donet quo paruus grandia dona tibi.
Magna peto, tibi parua tamen: nam grandia paruo
Parua quidem, paruo magna sed ista mihi.

AD DIANAM ARIOSTAM.

O Re refers ueram, castißima Cynthia, Phœben,
Fronte, decore, comis, nomine, & ingenio.
Hoc solum differs, quod ceruos Delia figit:
At tu luminibus, sæua puella, uiros.

DE D. HERC. ESTENSI II.

CVm dextra Alcides Mauortia prælia miscet,
Tunc credas Martem bella mouere manu.
At citharam placidus pulsat cum pectine eburno,
Tunc Phœbum dices increpuisse lyra.
Ergo ipsi meritò, referat cum numen utrumq;,
Cingit honoratum laurus honora caput.

DE NIOBE.

E Ste procul læti, cernant mea funera tristes,
Non similis toto mœror in orbe fuit.
Bis septem natos peperi, bis pignora septem,
Me miseram, diuûm sustulit ira mihi.
Dirigui demum lachrymis, & marmora manant:
Sic mihi mors dolor est, sic mihi uita dolor.
Discite mortales, quid sit turgescere fastu,
Et quid sit magnos posthabuisse deos.

AD DIANAM ARIOSTAM.

I actat tela, faces, & retia tendit ubiq;
Delia: quò uertis lumina, sæuus Amor?

Et quicunq; semel claros conspexit ocellos,
Figitur, ardet, amat, captus amore perit.
Infelix igitur postquam tua lumina uidi,
Hei misero, patior retia, tela, faces.

DE LYCO PALVSTRE.

ILle Lycus, Damon, Lycus ille infamia nostri,
Incolit en audax tecta superba ducum.
Et quamuis fœdus, cunctorum corda perurit,
Non secus ac Veneris filius ipse foret.
Quin regi & curæ est, licet antè hunc spreuerit Irus:
I nunc, & falli numina posse nega.

AD D. HERC. ESTEN. II. DE Diana Ariosta.

QVid pendent lychni, Alcide, laquearibus aureis?
An forte ut noctis nubila luce fugent?
Nubila luce fugat, mediaq; in nocte nitescit,
Delia: sint procul hi, nam satis ipsa nitet.

DE SOLE ET DIANA ARIOSTA.

CVm dederit claram nobis ita Cynthia lucem,
Vt fratris radios uicerit ipsa sui:
Ergo meo, dixit Phœbus, sic lumine uincor?
Ergo ego sum damni sic mihi causa mei?
Dempsit &, his dictis, quæ tradidit antè sorori
Lumina, luminibus quo foret orba soror.
Illa tamen clarum sparsit de more nitorem,

Et tulit

Et tulit obscura lumine nocte diem.
I modò Phœbe, inquit, nunc esse nitentia nobis
Lumina, nosq; diem promere posse nega.

DE LYCO PALVSTRE.

ES t, Lyce, praua tibi mater, turpisq; procaxq;,
Quæ facere, atq; pati, fanda nefanda potest.
Fœda oculis, fœda ore, & toto corpore fœda,
Moribus est eadem fœdior, atq; animò.
Membra illi pallent macie, illi lingua ueneno
Suffusa est, tabe & tota peresa uiret.
Tu quoq; te draucis subicis, subigisq; cinædos,
Quos & demisso sæpe uoras capite.
Tu medios lambis pueros, mediosq; puellas,
Hinc tibi sæpe madent pallida labra sero.
Tristis suffudit liuor tibi lurida membra,
Hinc es inaurata pallidior statua.
Lingua iacit uirus, fraudes & nectit amicis,
Quos & amas perdis, nequior Inuidia.
Sic illa est te digna parens, tu dignior illa
Filius, insolitis obrute criminibus.

DE TVRCO ET CAROLO
Imperatore.

QVid frustra cogis molles in bella phalanges,
Si Caroli audito nomine, Turce, fugis?

DE EODEM CAROLO.

VT Carolum uidit uictorem Iuppiter, huncq;
Et terra, & toto ponere iura mari:
Infelix, dixit, tu nobis proximus unus,
Astra mihi parent, cætera Cæsar habes.

DE EODEM.

CVm pridem manes iuisset fama sub imos,
Te Carole inuicta uincere cuncta manu,
Reddere & imperium Latio uictricibus armis,
Et Romæ amissum restituisse decus,
Augustus Cæsar dixit: Tu maxime, solus
Augusti meritò nomina clara tenes.

DE AMORE INERMI.

CVr tibi tela, puer, desunt? cur flexile cornu?
Lumina cur lachrymis nescia flere madent?
Subduxit mihi tela oculis castißima Phœbe,
Prò dolor, hincq; miser, uictus, inermis eo.

DE D. HERCVLE ESTEN. II.

CVM meus Alcides inter thoracas ahenos
Arderet, uibrans fortia tela manu,
Hunc spectans Cypris cœlo delapsa per auras,
Venit in amplexus, Marte negante, Ducis.
Tunc gemuit Mauors: Et quid mihi numina prosunt,
Si nunc mortali lumine uincor? ait.

AD DINDYMVM.

Ipſa tibi ſoror & coniux eſt, Dindyme, Iela,
Nimirum terris Iuppiter alter ades.

GALATEA AD VENEREM.

Diua potens Cypri, cœli decus, alta Cythera,
Piſcoſamq; Gnidon quæ colis, atq; Paphon,
Hanc tibi do myrtum, myrtum hanc Galatea uirentem,
Iſtaq; odoratis lilia mixta roſis.
Tu dea, qua flamma nobis nunc pectora torres,
Vre Acin, quo fax torreat una duos.
Caſſide ſic poſita foueat tua pectora Mauors,
Sic tecum æterna flagret & ille face.

IN LYGDAMVM.

Indulget fortuna tibi, tibi Lygdame ridet,
Si neſcis, caſu quo grauiore ruas.
Vidi olim multos felici ſorte tumentes,
Quos eadem miſeros præcipitauit humi.
Ne rebus confide tuis, ſors omnia uerſat,
Sæpe oneri & cedit pondere preſſa ſuo.

DE AMORE ET DIANA ARIOST.

Vidit Amor Phœben, uiſa cecidere ſagittæ:
Ipſa illos ſumpſit, pro pueroq; ferit.

DE ALBERTO TVRCO.

Vix bene fulmineum Turcus uibrauerat enſem,
Tentaret ualida quo fera bella manu:

Cum subitus gelidos hosti timor occupat artus,
Et modò tam fortis, nunc timet ante tubam.
Et secum tacitus, quid enim quid molior? inquit:
Hic mihi nunc Mars est, qui modò Turcus erat.

DE EODEM.

VT Turcum uidit tectum fulgentibus armis
Iuppiter, hunc Martem credidit esse ferum.
Vt uero hic forti tentauit prælia dextra,
Hic Marte est maior, dixit, & obstupuit.
Hinc mihi nil mirum, metuit si territus hostis,
Nam poterat Mauors hac cecidisse manu.

ANNAE BEREGVARDAE TVMVLVS.

CVr flent hic Charites? hic flet cur aurea Cypris?
An fato est hominum fas lachrymare deas?
Non flent diuæ hominem, sociæ sed iusta ministrant:
Anna etenim terris Gratia, Cypris erat.

DE ADMETO PVERO.

VT puer Admetus rorantem sanguine Adonis
Vidit aprum, rapidus sustulit inde pedem.
Dumq; fugit Medeæ occurit, cæde recenti
Natorum madidæ, quæ ense necat miserum.
Prò miserande puer, tutius te credere sæuis
Tygribus heu poteras, uel dare membra sui.
Nam licet is rictu tenerum lacerasset Adonin,

Medea

Medea potuit mitior esse tamen.
Quæ nanq; extinxit crudeli funere natos,
Non tibi debuerat parcere dura manus.

IN LYCVM PALVSTREM.

QVid Dictynna Lycum cessas lacerare procacem,
Qui sanctæ rupit iura pudicitiæ?
Turpiter estq; tuos ausus scelerare penates,
Dum sibi commisso uim tulit ante gregi.
Non satis est solitis pulsus quod montibus erret,
Dempta illi & teneri sit pia cura gregis.
Hoc multo minus Actæon commiserat olim,
Ille tamen canibus præda cruenta fuit.

DE AMORE ET DIANA ARIOSTA.

SVmpserat arma puer Veneris, quo pectora Phœbes,
Vreret igne sacro, frigidiora niue.
Vt uero hunc uidit sinuantem cornibus arcum,
Flammiferis oculis trux petit ipsa deum:
Quid nos ut ferias, dixit, tua tela fatigas?
Nunc age, nunc nostras experiare faces.
Et dicto citius oculis sic ussit Amorem,
Cesserit ut Phœbæ spicula sæua puer.
Illa triumphales deprompsit læta sagittas,
Vrit & hinc homines, urit & inde deos.

ARTVSI

ARTVSI HERC. ESTEN. VENAtorij canis tumulus.

CErberus est sedis custos Plutonis opacæ,
Poßidet Icarius lucida regna canis.
At si uirtuti tradantur præmia digna,
Artuso danda est illa, uel illa domus.
Namq; is, dum uixit, superauit grandibus ausis,
Facta canis Stygij, uel canis Erigones.

DE PVERO DAPHNI.

QVid mirum, Daphnis fama si pectora Mopsi
Torreat, hac posset sollicitare deos.
Fac petat hic cœlum, uideatq; hunc Iuppiter, ipse
Pocula miscebit pro Ganymede Ioui.

DE SVO AMORE.

EXuror glacie in media, dumq; uror, in igne
Algeo. si hæc patiar cur mala quæris? amo.

AD DIANAM ARIOSTAM.

PEctora cur flamma flagrent, cur frigida fiant
Sæpe gelu, quæris sæua puella, mihi:
Non scis? quod claros in me cum uertis ocellos,
Oraq; in humana uirgine digna dea,
Vrit crudelis misero mihi flamma medullas,
Nec requies uitæ tunc datur ulla meæ.
Quodq; ego si specto quanta est reuerentia famæ
Iuncta tibi, in medijs ignibus ossa rigent.

Sic per

Sic per te uruntur, per te ſic pectora torpent:
Vna es tu glacies, ignis & una mihi.

DE VENERE ET MARTE.

INduerat thoraca humeris, & caßide fuluum
Sopito amarat Marte Erycina caput.
Et clypeum læua, dextráq; aſſumpſerat haſtam,
Cum Mars excitus talia uerba dedit:
Nil opus his Venus eſt, nudæ ſi ceßimus olim.
Quid Galatea mihi nunc, rogo, bella moues?

DE STATVA VENERIS.

SIc ſimilem Veneri Venerem cælauit Iulus,
Vt Mars non lapidem, ſed putet eſſe Cyprim.
Vt uero hic ſtatuam cupidus complectitur, inquit,
Aut Venus in lapide eſt, aut riget ipſa Venus.

DE AMORIBVS DISPAR.

TV Galateam ardes Cyclops, te non ſecus odit
Hæc nympha, ac auidũ parua iuuenca lupum.
Et meritò: forma nam par Galatea Dionæ eſt,
Aſcalaphum ſed tu lumine & ore refers.
Aſt Acin Galatea perit, digna eſtq; peruri
Hac flamma: at fœdam deperit ille Napen.
Quanto eſſet ſatius, ſi tu Polyphæme fuiſſes
Acis, ſiue Nape tu Galatea fores?

DE IOVE ET CVPIDINE.

IVpiter ut ſenſit diuorum pectora Amoris

Igne

Igne uri, his auidum corripuit puerum.
Pone modum flammis, diuosq; exurere cessa.
Ni cesses pœnas fulmine, crede, lues.
Risit Amor: Genitorq; (inquit) quo fulmine terres,
Icere debueras, cum mihi taurus eras.

IOANNIS MANARDI TVMVLVS.

NOn hæc quã spectas claudit breuis urna Manardũ,
Claudere tam magnũ nam breuis urna nequit.
Est ipsi tumulus, quicquid sol lumine lustrat,
Et quicquid magnus proluit Oceanus.

DE AMORE FVLMEN FRACTVM manu gerente.

COnuenere olim pariter concurrere telis,
Hinc diuûm genitor, Cypridis inde puer:
Corripit hic arcumq; manu, celeresq; sagittas,
Ast ille armatus fulmine bella mouet.
Spicula uibrat Amor, fatalia fulmina torquet
Rex superum, flammas utraque tela ferunt.
Sors dispar: pueri hæserunt nam spicula cordi
Sæua Iouis, nullo is uulnere tactus abit.
Tunc calamum, quo fossus erat, Rex frangere tentat:
Huic Amor, hæc spernunt & Iouis arma manus.
Ipse tua exscindam: nanq; ut tu uiribus impar
Es mihi, sic cedunt en Iouis arma meis.
Et rupit, quæ fracta manu nunc spicula gestat,

Vt sint uictricis signa superba manus.

DE EODEM.

IPse Iouem uici, is cessit mihi fulmina uictus:
Victrici hinc frango tela trisulca manu.

D. ALFONSI ESTEN. TVMVLVS.

CLauderis Alfonse hoc tumulo, si claudere possit
Hic tumulus cœlum quæ tibi bona dedit.
Sed parua hæc pars est, quam frigida marmora claudunt,
Nanq; tui melior pa s uiget, & potior.
Nec potuit famam, tibi quam tua gesta pararunt,
Aeternumq; decus perdere Parca nocens.

DE EODEM.

ALfonso extincto Mors secum læta: Quid, inquit,
Hoc potuit maius sternere dextra mea?
Hoc cæso, cecidit Mauors, hoc bellica Pallas,
Hoc decoris toto quicquid in orbe fuit.

AD CASSANDRAM MINOTAM.

IPsa licet ducas uocis modulamine saxa,
Et rapidi possis sistere fontis aquas,
Iunonem forma superes, superesq; Dionem,
Et Latonigenæ uirginis ora deæ,
Non tamen hæc miror: miror quod Palladis artes
Sint iunctæ in forma hac pulchra puella tibi:
Quod sancti mens sit, mens sit tibi conscia recti,
Præponas cunctis pectora casta bonis.

Cassandra,

Caſſandra, illa breuis fati: ſed propria ſunt hæc
Dona tibi, nullo dona abolenda die.

AD IVLIAM.

NOn mihi ſi tot ſint oculi, quot ſidera cœlo,
Quæ tibi cunq; inſunt, Iulia, perſpiciam.
Ergo nil mirum, ſi non ſunt lumina tantum
Bina ſatis, quo te plene ego perſpiciam.

AD FLAVIVM ANT. FRATREM.

FOrtunæ nimium Flaui ne crede ſecundæ:
Sed mage quo blanda eſt, hoc grauiora time.
Nam modò quos placida extulerat, nunc deprimit atrox,
Et firma in ſola eſt mobilitate dea.
En Xerſes, Crœſusq; aſtris felicibus uſi,
Mox triſtes dominæ ſuccubuere rotæ.
Et Priamus ſæui urebant dum Pergamon ignes,
Indiguit flammis ad ſua buſta miſer.
Crede mihi, ex tenui pendent mortalia filo,
Et celeri fugiunt gaudia noſtra pede.

DE CAROLI IMPERATORIS
Auguſti effigie.

QVis neget Auguſti faciem, quis pectora, quiſ ue
Lumina, uel Marti pene tremenda deo,
Hac cerni in tabula? Nemo: nam quicquid ab arte,
Fas fingi eſt, finxit dædala quippe manus.
Sed quamuis ueros referat pictura colores,

Verior in

Verior in factis extat imago suis.

DE SE AD AMOREM.

CVm tot tela Puer iactes, totq; improbe flammas,
Igne fretum ut flagret, terra, polusq; tuo,
Spicula quis tibi tot, quis tot tibi suggerit ignes,
Quot corde in nostro nocte dieq; iacis?
Ipse faces cum tot patiar, tot spicula, credo,
In me unum quòd nunc saeue Cupido furis:
Parcius ure, precor. Nam si produxeris iras,
Non me, sed cineres, & mea busta petes.

IN PACTIVM.

ORe uenena iacis Pacti in me noxia putri,
Sed clam: namq; times comminus ire mihi.
Et uersare dolos tentas, modo poßis obesse
Improbe, nec curae est fas'ue, pium ue tibi.
Crede mihi, aspiciunt superi tua crimina ab alto,
Vltricesq; parant in tua damna manus.
Interea tamen ipse precor, pro talibus ausis
Quòd desit tellus, desit & unda tibi.

IN MALEDICVM ARCHEMORVM,
de Coelio Calcagnino.

AMbrosiam, & nectar, quod fundit Coelius ore,
Et quae de docto pectore uerba fluunt,
Archemorus quaerit tetro temerare ueneno,
Dum demens iugi rumpitur inuidia.

Nil agit ille tamen, nam miscet mella ueneno
 Cœlius, idq; facit dulcius ambrosia.
Hinc est, quod liuet, macieq; peresus inerti,
 Corpore iam toto palluit Archemorus.

AD D. HERC. ESTEN. II.

MAgna canãt quamuis de te, Dux inclyte, uates,
 Nemo tuis meritis uersibus æqua facit.
Et quamuis cupiant quàmplurima fingere cantu,
 Tu quoq; Dux fictis maxime maior eris.
Namq; ut nulla ualent lucem addere lumina soli,
 Carminibus tua sic crescere fama nequit.
Ergo licet crescant uates, & carmina, nullus
 De te unquam mendax esse poëta potest.

IN INVIDVM.

Liuor, quid tentas atro temerare ueneno,
 Aurea, quæ cecini, regia sceptra Ducis?
Arrisit Dux ipse mihi, iam comprime uirtus:
 Iam tibi corrodat uultur, inique, iecur.
Quod si uesanos quæris finire furores,
 Intende huc oculos, quo moriare, miser.
Ipse tibi macies, tibi ero Libithina maligno,
 En tibi crux parta est, liuide liuor, obi.

MORA NIGRA EX ALBIS.

NE mirere nigrum nobis nunc esse colorem,
 Qui succus nunc est, hic cruor ante fuit.

Alba

Alba etenim fuimus poma, at nos reddidit olim
Pyramus & Thysbe sanguine nigra suo.

AD ILLVST. GALEATIVM
Esten. Tassonum uirum
clarissimum.

TE duce iam saeuos undarum uicimus aestus,
Et fuit in tuta te statione ratis.
Nunc iterum sed nos agitat uiolentior Eurus,
Et petit (heu) miserum saeuior unda caput.
Tu rursus nostrae subeas moderamina puppis,
Ne quem seruaras, horrida perdat hyems.
Sic tibi, sic nullo coelum turbetur ab hymbre,
Et mare tranquillum sic tua puppis aret.

DE HERCVLE ESTENSI
Duce IIII.

ORa Cleonei capiti dum fulua leonis
Induis, Alcide, dum capis arma manu,
Arma quibus cecidit moles Nemeaea, uolucres,
Hydra, aper, & taurus, tergeminusq; canis,
Dumq; humero imponis clypeum, spolioq; superbo
Te tegis, atq; hasta fortia bella moues,
Te spectans coelo, dixit Tirynthius, Ecquid
Nunc me alium genuit de Ioue foeta parens?
Talem quippe uirum si tempora prisca tulissent,
Hoc foret, hoc uno gloria nostra minor.

Agnaq; sic uobis candida sæpe cadat.

IN LYCUM PALUSTREM.

NArcissus liquidis dum se spectabat in undis,
Ipse sui (hei misero) uictus amore perit:
Nunc tua forte tibi si occurrat turpis imago,
Infelix, odio sic moriere tui.

DELIAE DAMIANAE SOcrus tumulus.

QVæ Venerem forma referebas, arte Mineruam,
Ingenio Phœben, hic Damiana iaces?
Quid sperem in terris firmum, si munera tanta,
Totq; animi dotes Parca inimica tulit?

FVLVII BALTHASARIS Bardeli tumulus.

BAlthasar hic iaceo, primo quem flore iuuentæ
Decerpsit rapida mors inimica manu.
Si spectes annos, iuuenem me fata tulerunt:
Si ingenium, dices me perijsse senem.

IN TVMIDVM ARCHEMORVM.

FOrtunam Archemorus petulanti uoce lacessit,
Munera quòd meritis non ferat æqua suis.
Huic dea: Pro meritis dedero si munera digna,
Iro pauperior iure eris Archemore.

DE GEORG. LOXANO ET Catharina Aquila Coniugg.

TEctus olorinis plumis Pater ipse deorum
Venit in amplexus, Læda beata, tuos:
Nunc aquilæ (mirum) ficta sub imagine Iuno,
Loxani in gremio fœdere iuncta cubat.
Tyndaridas Læda enixa es, duo lumina diuûm,
Nil mirum, ediderit si quoq; Iuno deos.

AD LILIVM GREGORium Gyraldum.

IMplumem quod me niueis subuexeris alis,
Et tua deiectum Musa leuarit humo,
Hæc tibi do, Lili nobis non debita serta,
Istaq; honoratis munera digna comis.
Tu modo quem rapidis fers alta ad sidera pennis,
Ne linquas, ne te deficiente cadam.

AD D. RENATAM ESTEN.

DIues opum Iuno, prudens Tritonia Pallas,
Delia casta, nitet pulchra decore Venus.
Tu diues, prudens, tu casta, & pulchra Renata es:
Te minor est Phœbe, Iuno, Minerua, Venus.

AD COELIVM CALCAGNINVM.

VT sol, cum toto radios diffundit Olympo,
Sidera fulgenti lumine cuncta fugat:

Sic

Sic Cœli promit ſeſe cum dædala Muſa,
Carminibusq; nouum ſpargit in ore iubar,
Sola micat, cunctosq; premit, qui luce coruſca
Flagrabant uates, lampadis igne ſuæ.

DE FRANCISCO SAR-
raceno perſonato.

QVid mihi nunc latras, ficta quod imagine formæ
Celarim faciem, liuida turba, meam?
Sæpe Iouem decuit ficta ſub imagine formæ
Ludere, & ardentes deſtituiſſe polos,
Et cycni formam, formamq; aſſumere tauri,
Magni ut celaret numinis ille iubar.
Sic & nos decuit tetricos deponere uultus,
Et grauibus curis inſeruiſſe iocos.

DE ADMETO, QVI SE HAE-
redem inſtituit.

VReret Admetum febris cum lethifer æſtus,
Proximaq; aſpiceret fata ſuprema ſibi,
Ante Erebi quàm umbras peteret, noctemq; profundā,
Hæredem extremis ſe inſtituit tabulis.
Mox medicus letho, fatisq; potentior, ipſum
Exanimem morti ſurpuit arte ſua.
Hic ſoſpes cuncta abſumpſit, quo oſtenderet unum
Hæredem uerè ſe ſupereſſe ſibi.

Obstringunt tibi me, uirgo pulcherrima: sed qui
Corda tibi exurit relligionis amor,
Et morum probitas, castæ & reuerentia famæ,
Men'q; in mortali uirgine digna dea.
Et pietas, & sancta fides, & uiuida uirtus,
Et pudor, atq; animi tot bona rara tui.
Felices, talem qui te genuere, Camilla:
Sorte tua & sexu es celsior una tuo.

MATRIS LACAENAE VIRTVS.

VT clypeo impositum uidit Lacedæmone natum,
Cuspide traiectum fata subisse parens:
Non casu perculsa graui, sed læta sereno
Aspectu exanimis conspicit ora uiri.
Atq; illum complexa, inquit, Te hæc uulnera, nate,
Incolume & clypeum mi probat esse meum.
Hanc tantum ob causam peperi, ut cum posceret hora,
Esset qui patriæ uellet amore mori.
Iam lachrymæ hinc absint: nam tali ex funere matri
Viuis, quem extinctum cætera turba gemit.

AD LESBIAM.

SI tot me iaculis figis, totq; ignibus uris,
Nomine uix solo Lesbia nota mihi:
Quos ignes patiar, quæ spicula, Lesbia, si in me
Conuertas oculos, sidera clara, tuos?

Ignis ero totus, totusq́ comburar, eroq́;
Qui modò uir fueram, puluis, & aura leuis.

AD MARCVM.

V*T tibi te uere monstrauit, Marce, Philippus,*
Qui tot iactabas, factus es Harpocrates.

MATRIS LACHRYMAE IN FVnere nati morsu anguis extincti.

N*Ate dolor matris, prima surrepte iuuenta,*
Indigne (heu miseram) nate perempte mihi.
Te, modò qui patriamq́; tuam, sanctosq́; Penates
Protexti, cunctis qui modò terror eras:
Nunc demum imbellis transfixum dente chelydri
Exanimum uideo, funere degeneri.
Quid iuuat, heu, duri subiisse pericula Martis,
Pro patria toties exposuisse animam,
Quaesisse & toties pulchram per uulnera mortem?
Sic nunc tam uili uulnere, nate, iaces?
Felices, quibus hostili procumbere dextra
Contigit, & forti fata subire necē.
Sic si te extinctum aspicerem, dolor omnis abesset,
At specie hac lethi flebilis umbra mihi es.
Sed postquam sic fata uolunt, sic funera poscunt,
Aeternnm flebo, nate, meae lachrymae.

DE IVLIO SCVLPTORE.

SI posset saxis animam coniungere Iulus,
Arte sua possent marmora dura loqui.

IN SINONEM EVDOLEMVM.

NVlla lues orbi grauior, nec fœdior ulla
Est te, qui pariter fanda nefanda facis.
Nulla tibi uirtus, nulla est tibi gloria curæ,
Sed tantum insidiæ, crimina, bella, neces.
Nec mirum, genuit nam te sub faucibus Orci
Tisiphone, fouit sæua Megæra sinu:
Vberaq; exhibuit tetro liuentia tabo,
Non prius humanis ubera sucta labris.
Te Stygij lauere lacus, tibi turpis Erinnys
Angue cruentato pectora fœda ciet.
Hinc Plute superas pridem si misit in auras,
Vt lites terris, & scelus omne feras.

DE NIOBE MANV PRAxitelis sculpta.

ME lapidem ex uiua fecerunt numina diuûm,
Praxiteles uiuam redidit ex lapide.

IN SINONEM EVDOLEMVM.

TAndem in me euomuit nigrũ rabido ore uenenũ,
Marce, Sinon, quo non tetrior ulla lues.
Sed bene res cecidit: nam quo me extinguere uiru
Credidit, incolumi me, perit ipse Sinon.

DE LESBIA

SParserat auratos crines mea Lesbia uentis,
Sparserat & nitidum lumine in orbe iubar,
Cum sol hanc spectans, radios contraxit, & inquit:
Cedant luminibus lumina nostra tuis.
Hactenus humanos uicisti, Lesbia, uultus:
Nunc gaude, cedunt numina sacra tibi.

DE CVIVSDAM AMORIBVS.

AVrea te quondam Cypris, nunc tristis adurit
Lesbia, Tisiphone fœdior, & grauior.
Quæ matre Eumenide, & Stygio generata parente,
Imo ignes in te de Phlegethonte tulit.
Quòd face tam sæua si ussit pulchra Dione,
Quàm grauis hæc misero flamma futura tibi est!

VXORIS PRO VIRO FORTITVDO.

VXor forte uirum uidit succumbere pugna.
Hostis nec longum uulnera posse pati:
Illa oblita sui, atq; animos induta uiriles,
In medios enses acta dolore ruit.
Et mulier quamuis, quamuis exerta papillas,
Vlla nec armarent fortia tela manus,
Hosti ui gladium rapuit, clypeumq; uirago,
Protexitq; suo robore nixa uirum.
Moxq; illo incolumi, non ultrà protulit iras,
Sed quæ hosti abstulerat mitius arma dedit.

His superincrepitans: Indigne occumbere dextra hac,
I uiue, ut merita mox moriare nece.
Iactent Hippolyten, iactent sua secla Camillam:
Iam superant priscam tempora nostra fidem.

AD MANLIVM.

Dispereo: sed quæ mihi das medicamina, Manli,
Negligo, nã morte hæc sunt grauiora mihi.
Emoriar, quid enim perdam nisi inutile pondus?
Altera pars uiuet, morte negante, mei.
Pulchrius ergo mihi est generoso occumbere fato,
Quàm uita indecori fanda nefanda pati.

DE LACONE QVODAM.

CVm clypeo exanguẽ impositũ Lacedæmona ferrẽt,
Semianimo ut medici uita daretur ope:
Ecce Lacon sentit socias dare terga cohortes,
Et timidas rapido linquere castra pede.
Prosiluit, læua & clypeum, dexraq; potenti,
Exanimis quamuis tela cruenta capit.
Et sæuum inclamans: quò nunc, quò tenditis? inquit.
State uiri, imbelles uulnera sæua timent.
Est pulchrum perijsse uiris, dare nomina famæ:
Ast turpe est uitam ducere degenerem.
Mecum ergo audete, & libeat procumbere bello:
Nam uita ex tali funere maior erit.

His

His dictis arrecti animi, per tela, per hostes
Præcipitant, cupidi gloriæ amore mori.
Mox uictor pulsis felici Marte Pelasgis,
Ipse Lacon cecidit ut Lacedæmonius.

AD GALLVM.

QVid tentas undis extinguere Cypridis ignem,
Qui tibi sub misero pectore, Galle, furit?
Hunc Venus orta salo genuit, iam ponito lymphas,
Ex undis ortus non timet ignis aquas.

IN SINONEM EVDOLEMVM.

PRresserat Eudolemus tollentem colla chelydrum,
Cum sæuè hic fixit dentibus Eudolemum.
Sed quæ illi serpens properabat dente uenena,
Sanguine gustato sensit, & interijt.
Nec mirum, Eudolemi perijt si sanguinis haustu,
Corpore nam toto nil nisi uirus habet.

IN VESBIAM.

TRes habuit furias quondam, sed Vesbia manes
Vt petit, furias quatuor Orcus habet.

DE ECNOMI SAEVITIA.

NAm qd te mirer Progne, qd te improba Colchi?
Tempora si maius nostra tulere nefas.
Ecnomus occidis furiali concitus œstro,
Natum, olim matris, deliciasq; suas.
Et gemina uxorem gestantem pignora in aluo,
Quæ furias nondum nata tulere patris.

Addidit hic famulos, & castæ fata sororis,
Qui fratri nunquam mitior ulla fuit.
I nunc, huicq; Scynim, Phaleremq;, ferumq; Procustem
Confer, collatis sæuior unus erit.

HECVBAE VIRTVS.

HEctoris extincti cernit dum uulnera mater,
Vulnera quæ aduerso pectore natus habet:
Illa, oculos quamuis lachrymis suffusa dolentes,
Aspexit forti pectore pectus hians,
Atq; gemens dixit, Non hoc ego funere tristor,
Tristor, quod tecum patria, nate, perit.
Di rursus facerent, hæc posses fata subire,
Et patria incolumi pro patria cadere.
Sed postquam nobis hoc inuida fata negarunt,
Gaudeo tam pulchra te occubuisse nece.

DE CLOANTHO.

OFfert Neptuno clypeum, Martiq; Cloanthus,
Quod pelagi, & belli hoc uicerit ille minas.
Hoc se etenim texit pugnans, hoc naufragus usus
Pro cymba, euasit sæua pericla maris.

DE AMORE.

QVid mirum, exultet si sæuis, Lygdame, flammis,
Si fletu gaudet nec minus acer Amor?
Mulciber est illi genitor, flamma alius & igne:
Hunc peperit medio nata Erycina mari.

Ergo

Ergo ille hinc lachrymas ciet, illinc pectora adurit,
Cumq́; undis flammas, cum face miscet aquas.
Sic uersas lachrymas oculis, sic uritur igne
Pectore sub medio, Lygdame, quisquis amat.

MATRIS LACAENAE VIRtus in filium degenerem.

ANtilochus socios medio in discrimine belli
Liquerat, & dederat terga pudenda fugæ.
Cum nato occurrens traiecit pectora mater,
Atq; his degenerem fœmina corripuit:
I morere ô mentite genus, mentite parentem,
Nec meus es natus, nec Lacedæmonius.

AD D. HERC. ESTEN. PRO munere exorato.

SI quoties nostris respondent numina uotis,
Numina continua sollicitata prece,
Thure calent aræ, sacriq́; adolentur honores,
Et dantur magnis debita dona deis:
Quid tibi nunc tradam, uoti (Dux maxime) compos,
Quod possit meritis æqua referre tuis?
Sed cum nil mihi sit te magno Principe dignum,
Ne uidear munus dissimulare tuum:
Me tibi do, & uocem hanc, quamuis exile sonantem,
Tu quæso, hoc magni muneris instar habe.

Sic tua

Sic tua diuinos tibi det Ferraria honores,
Sic tua post cineres fama uirescat anus.

AD LESBIAM.

AVdit Sirenas, qui te audit dulce canentem:
Et qui te cernit, Gorgonis ora uidet.
Hinc riget alta silex, subit inde pericula ponti,
Et gemina per te, Lesbia, morte perit.

AD FRANCISCVM Sarracenum.

LAetus erat Thybris, dum celsas illius aras
Incoleres, mœstus flebat at Eridanus.
Sed postquam is reducem uidit, te sospite gaudet,
Discessuq; gemit Thybris in amne tuo.
Sic quocunq; pedes confers, facis omnia læta:
Læta & quæ fuerant, sic te abeunte dolent.

DE PASIPHAE.

DVm pudet, & cupit optato concumbere tauro,
His sese dictis Gnosia corripuit:
Cur mihi crimen erit tergus subiisse iuuencæ?
Et tenerum tauro supposuisse femur?
Non quondam ut pulchra potiretur Agenore nata,
Iuppiter in pratis mugijt ore bouis?
Hoc si ipsum decuit, quis me damnauerit unquam,
Vt boue perfruerer, nunc subiisse bouem?

AD VENEREM.

NE natum in triuijs fugitiuum Cypria quæras,
Huc propera, in nostro pectore regnat Amor.
Hicq; furit latitans, ægrum & crudeliter urit,
Igni addens ignem, nec uolat hinc aliò.
Tu puerum hinc Cytherea uoca, non basia posco:
Sat mihi mercedis, si puer hinc abeat.
Sic tuus aßiduo tecum Mars igne calescat,
Sic semper cedat Iuno, Minerua, tibi.

AD LESBIAM.

SIc me blanda tui succendunt, Lesbia, ocelli,
Vt miser ardenti concremer usq; face.
Tot rursus rigor iste tuus sub pectore luctus,
Cit mihi, ut aßiduas cor fluat in lachrymas.
Sic flamma per te exuror, sic soluor in undas,
Sic geminæ sola es tu mihi causa necis.

DE MORTE HECTORIS.

INuide Mæonida, si nobis pectus Achilles
Transadigit, cur nos terga dedisse canis?
An forsan quo me uentura redarguat ætas,
Degeneriq; ferat procubuisse nece?
Sed mihi non deerunt qui rem uero ordine pandant,
Et forti monstrent me meruisse manu.
Strauit me Aeacides: ferro at ni imperuius esset,
Hectoris is poterat fata subire manu.

Et

Et si aberit liuor, si rem perpenderis aequè,
Sternere me is potuit, uincere non potuit.

AD IVLIAM.

LVminibus fundis tot lumina, & illice uultu,
Vt Cytherea tibi cedere iure queat.
Horrida tot rursus celas sub pectore monstra,
Vt tibi Phorcynis cedere iure queat.
Sicq; trahis miseros illis, his perdis amantes:
Cypride pulchra magis, Gorgone saeua magis.

IN TOLLAM.

NOn mihi tu Gorgon, mihi non Acheloia Siren,
Quod rapias, potius tu mihi Scylla uorax.
I uincas cantu Sirenas, & ore Medusam,
Non tibi praeda maris, non tibi marmor ero.

AD MARCVM, DE eius amica.

ORe nitet tanto, tot fundit lumina Cypris
Marce tua, ut Veneri nil mage sit simile.
Niq; suae Veneris Mauors flagraret amore,
Mars uri poterat Cypridis igne tuae.

CVPIDO AD APOLLINEM, qui ipsum & eius tela spernebat.

SPerne faces Paean: tamen ut te flamma peruret
Daphnes, hinc posces more clientis opem.

DE DAEDALO, QVI IN PALVDE morsu anguis mortuus est.

QVid iuuat, heu, leuib. uolitasse per aëra pennis?
Transisse & uasti longa pericla maris?
Minoisq; iras fugisse fugacibus alis,
Quas in te cierant crimina Phasiphaës?
Dædale: si immanis te fixum dente colubri,
Submersum, exanimem, continet ima palus.
Non'ne fuit satius pelago periisse profundo,
Quàm nunc tam uili procubuisse lacu?
Icarus ipse licet minor, hoc te clarior uno est,
Aequore quod medio fata suprema subit.
I nunc, & factis famam molire perennem,
Si mage præclaros tam fera fata manent.

FORTVNA D. HERCVLI Estensi alas dicat.

QVæ cuncta instabili uerso mortalia motu,
Sors præpes, cunctis & malefida uiris,
Firma futura tibi semper: tibi fida, nec unquam
Mutatura uices mobilitate mea.
Has tibi do uolucres (Dux inuictissime) pennas,
Inq; tuo impl mis ludo benigna sinu.

DE ANNIBALE A RIVALI EXTINCTO.

ANnibalem bello inuictum dum candida Dirce
Demulcet, tacita fraude Cupido necat.

Ipsa

Ipsa nephas deflet scissis Bellona capillis,
Et Marti assiduis fletibus ora madent.
Et meritò, nam quem poterat uix tristis Enyo,
Vel Mars bellipotens sternere, strauit Amor.

LVCRETIAE ROMANAE tumulus.

CAndida fama mihi cum uita charior esset,
Sanguine seruaui damna pudicitiæ.
Roma tamen nostra fuerit cum libera morte,
Sic me pro patria procubuisse iuuat.

DE SE AD MVSAS.

DIuæ, queis ducibus Permessidas hausimus undas,
Et licuit Pindi sacra subire iuga:
Si me non frustra est dignatus nomine Cynthi
Cynthius, Aonij duxq; paterq; chori.
Vos ô uos toties diuæ ad mea uota uocatæ,
Demite supremis nomina nostra rogis.
Vt cum sera dies longo me absumpserit æuo,
Aeternùm uolitem docta per ora uirûm.
Sic uobis semper uireat Peneia laurus,
Vosq; inter docta cuspide Bacchus eat.

EPIGRAMMATVM LIBRI SECVNDI FINIS.

CANDIDO LECTORI.

Libuit nobis, his Cynthij Gyraldi poëmatijs ipsius, etiam addere fragmenta quædam, quæ ad rem medicam attinent. Quod non alia de causa à nobis factum est, quàm ut candidus lector uideat, quantum utilitatis rei medicæ, et ornamenti poëticæ accederet, si opus tam præclarum perficeretur: secumq; cogitet auctor, quanta in perfecto opere sit laus futura, quando id sic interfectum tantum sui desiderium excitauit.

Vale, & boni consule.

CYNTHII

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI PHYSICI FERRARIENSIS DE VSV PARTIVM, SIVE DE PARTIBVS CORPORIS HVMANI FRAGMENTA QVAEDAM.

De hepate, corde, & cerebro, & quæ animæ uis ipsorum unicuiq; à Galeno adscribatur.



NEC minus hinc constat, tria prima ab origine membra
Esse, quibus uiuit moles hæc corporis huius,
(Heu grauibus morbis, mortiq; obnoxia moles)
Cor, iecur, & cerebrum (neq; enim genitalia nobis
His numerare libet, licet his sine cuncta periret
Humani soboles generis) concessa facultas
Queîs diuersa fuit: nec membrum est corporis ullum,
Vnde suos ortus ducant quæcunq; creantur
Membra, nec unde etiam procedat quæq; facultas
Corporis ipsius. uenarum nam hostia surgunt
A iecore, undarum uelut alto à flumine riui
Desiliunt: passim hinc sanguis per cuncta redundat
Membra hominis, liquidoq; rigat sicca omnia fonte,

Et uires reparat fessas, nutritq; fluento
Purpureo corpus, qua uenis cunq; feratur.
Qualis cliuoso decurrens tramite montis
Fons exit rapidus, rauco cum murmure secum
Saxa trahens, qui mox placidus cum se intulit aruis,
Vt uitam inde habeat quicquid radicitus hæret
Telluri, humectat sitientes undiq; campos.
Cor fons innati est, & prima caloris origo,
Thoracis mediumq; tenet, uitamq; ministrat
Artubus & membris. Nam uiuax inde uagatur
Spiritus, & defert mixtus cum sanguine uitam.
Ardua sed cerebro uis iuncta est, unde mouere
Se queat hæc moles, ut fert sua quemq; uoluptas,
Atq; frui sensu. uisq; uni est insita tantum,
Qua noscit rerum formas, qua cuncta tuetur
Quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ uoluentibus annis
Euenient, rerumq; uices, seriemq; futuri,
Qui motus quatiantq; solum, quos luna labores
Nocte obeat, solis cursus, solisq; recursus,
Et rerum euentus uarios, quo'ue ordine cœlo
Sidera labantur, cuncta ut sol aureus ornet.
Hic uires omnes monstrat, rerumq; potitur,
Vis animæ potior. Natam hinc de uertice patris
Tritonis fluuij ad ripas, è Metide sacra,
Pallada, carminibus uates cecinere priores,

Consilijs

Consilijs animoq; insignem, in pectore patris
Quam Themis armauitq; armis, parmaq; nitenti,
Imposuitq; hastam dextræ, quo laudis amore
Succensa, audaci meditetur prælia fronte
Armipotens uirgo, duri uelut æmula Martis,
Viq; animoq; potens. Quod si qua in parte locanda est
Ipsa anima, hæc tota in sublimi est sede locanda.
Si uero est tota, in toto, nec parte reposta est
Vlla omnis, uiresq; suæ per membra secentur,
Siue homini fuerint animæ tres, munere terno
Vt uiuant homines cuncti.

Illa quidem, qua nos uexat sæuæ impetus iræ,
Et qua mens hominis semper facta ardua poscit,
Innata est cordi. Sed qua crescitq;, uigetq;,

Corporis hæc moles, qua uitæ munere gaudet,
Qua cupimus, qua sæpe trahit sua quemque uoluptas,
Hepatis esse puto.

Ast illam, qua homini sors est propè proxima diuis,
Qua rerum simulachra capit, noscitq;, uidetq;
Cuncta animo uigili, ueræ nil lucis egenus,
In celso sistam. Quod si tibi munera nosse
Naturæ hinc libeat, quo'ue hæc tria membra creentur
Ordine, tunc nosces non dandam dignius ullam
Sidereæ menti sedem, licet inclytus ille
Hanc minimi faciat partem, cui cætera subsunt,

Mentis & imperium uiuaci in corde reponat.
Nam cum se fundit in aluum,
Cumq; uiri sese commiscet semine semen
Fœmineum (nam animal matris sine semine nullum
Gignitur) & grauida fœtus generatur in aluo,
Tunc primum ipsius uita est contermina plantis,
Atq; alimenta sibi fœcunda sumit ab aluo,
Ceu plantæ radix succos trahit insita terræ,
Vnde ipsa & tronchus frondosaq; brachia crescant.
Gignitur inde hepar, genitum quod suggerit illi
Nutrimenta simul. namq; altrix insita uirtus
Est iecori tantum, iustos ut deinde per auctus
Paulatim crescat. Sed sensim ut reddere cœpit
Verum animal, pulsus expers ne tunc quoq; uiuat,
Continuò exoritur cor uiuax pectore in ipso,
Tuncq; statim motu gaudet, pulsuq; animali,
Exiguo quamuis, qualem conchylia seruant.
Non tamen est aliquis sensus tunc usus in illo,
Non auris uoces audit, non lumina cernunt,
Non linguæ est gustus, haurit nec naris odores,
Nec pede se defert, nec agit tunc dextera quicquam,
Nulla illi innata est ratio, non ulla uoluntas:
Non eget his etenim. Sed postquam membra per omnes
Seminis auxilio (nam tantum semen in aluo
Est quod agit, quod membra creat, diditq;, regitq;:

Non cor

Non cor, Nicomacho cretus quod senserat olim)
Concrescunt numeros, membrisq; anima insinuatur,
Iam capite exorto, tunc primum cernere cuiq;
Est cerebrum, quod membra regat certo ordine cuncta.
Armiger Automedon ut quondam ad frena iugales
Collegit, docuitq; illos tolerare magistrum,
Dum campo in medio currus agitabat Achillis
Terribilis, præmeret'ue manu, aut laxaret habenas.
Sic etiam Aemonia puppi cum fortis Iason,
Aurea ut eriperet Nepheleia uellera Colchis,
Est ausus primus decurrere cerula ponti,
Velorumq; alas demittere flatibus Euri,
Hagniades magnæ subijt moderamina puppis,
Cum fabricata ratis commisit carbasa uentis,
Ferrato cœpitq; æquor proscindere rostro.
Nec quisquam fuerat Thyphis prius usus in illa.
Tunc quoq; Romani subijsti pondera regni
Romule, tuncq; uiris leges, tunc iura dedisti,
Augusta grauitate sedens, cum maxima Roma
Te duce fundata est: sæuos attollere fasces
Non opus ante fuit, uel rerum flectere habenas,
Imperijs gentes'ue tuis frenare superbas.
Sed tibi si cordi est rem tandem noscere apertam,
Huc oculos, huc flecte animum, remq; ordine disce.
Maternā est iuxta aluū hepar, dum fœtus in illa est,
Longius

Longius at costa est, cerebrum quoq; longius illo est.
Quin etiam postquam dias in luminis auras
Infans exoritur, cunctis se clarior effert
Vis iecoris, cordisq́; minor, minor illa cerebri.
Ergo uidere tibi est hepar, mox corda creari,
Posterius cerebrum, quo sese probat in ipso
Sponte animæ uirtus potior, ceu fulgida lampas.

Cur quædam animalia oculos in fronte habeant, quædam in ceruicibus.

SEd si à nobis nunc forte requiras,
Cur ceruice oculos nonulla animalia gestent,
Hosq́; homines sub fronte gerant: hoc accipe paucis.
Nam tenui quæcunq; cuti mortalia membra
Tecta gerunt, septa his etiam sunt lumina læui
Pellicula, ut molli sunt corpore lumina tota:
Quo facile hæc lædi poterant. hinc sedula mater
Omniparens natura, illis loca tuta parauit,
Infixitq́; cauis oculos in partibus, hosq́;
Muniit, & molles multo simul obiice sepsit.
At contrà quæ crusta tegit, quæ'ue aspera testa,
Lumina dura cuti gestantq́; simillima densæ:
Hinc facile haud possunt lædi, hinc munimine tanto
Iis opus haud fuerat. quanquam hæc si aduersa tuentur
Forte oculis, illos actutum in pectore condunt,
Tuta illis & fida domus dura omnia contra.

Quòd oculi sunt uigiles totius corporis, & ob id in summo positi.

NEc melius poterant alia sub sede reponi
Lumina, prospicerent quo cuncta aduersa tuendo,
Quàm parte in celsa. Nam si sub pectoris ima
Ipsa parens oculorum orbes posuisset, adempta
Vis prope tota illis esset discernere tela,
Lædere quæ poterant illos, & lædere membra
Cætera, quis uigiles oculos natura creauit.
Sic etiam summa custos speculatur ab arce,
Prospectatq; uiris placidæ qui membra quieti
Dant, fracti Marte assiduo, fessiq; labore,
Vt uires somno reparent sub nocte silenti:
Ni faciat, fortuna usus meliore, paratus
Ibit in incautos hostis, somnoq; sepultos
Demittet letho uictor felicibus armis.
Vt quondam Hyrtacides, toto dum pectore somnos
Proflarent, Rutulos inopino Marte peremit.
Nec minus ipse uno tantum comitatus Vlysses,
Pergama uastaret, duro dum Græcia Marte,
Sumeret ut meritas rapta de coniuge pœnas,
Aggreditur Rhesum, uigili custode perempto,
Et somno oppressum nigro demittit Auerno,
Ardentesq; abducit equos, ne pabula Troiæ
Gustent, aut Xanthi fatalia flumina potent.

Vnde orta est Troiæ clades, uictoria Græcis.

Quare os in capite.

FOrsan, sed si quæsiueris ultra,
Cur etiam capiti natura adiunxerit ora?
Id gemina ex causa factum est. nam iuncta palato
Aptior ad gustum lingua est, rerumq; sapores.
Nec minus ut possent homines, dum luce fruuntur,
Mortales reparare artus, sunt addita cunctis
Ora, quibus terantq; cibos.

Euagatio poëtica de Astomis.

FAma tamen, Ganges Indis qua turbidus auro
Defluit, & claro Titan se prodit Olympo,
Exortam gentem contectam corpora uillis,
Indutamq; artus tenui lanugine frondis,
Cui caput ore caret, dictu mirabile, quæq;
Vsa cibis nunquam est, latices nec pota fluentes,
Sed uario tantum semper quæ uiuit odore
Aut florum, aut mali, aut radicis simplicis herbæ
Naribus attracto, atq; ima ad uiscera misso.
O nimium felix, & cœlo digna propago:
(Si modo digna fide de uobis fama loquuta est)
Improba uos rabies nunquam compellat edendi,
Dulcia sollicitant, nec mollis Maßica Bacchi,
Diræ animis pestes, Venerisq; alimenta nefandæ.
Non uobis toruus duro sub uomere taurus

Ingemit

Ingemit, aut uitis frondenti iungitur ulmo.
Non terram aſsiduis raſtris pulſare iacentem
Eſt opus, aut ualidos duris ſubſiſtere marris,
Vlla'ue fallaci committere ſemina ſulco:
Omnia nam uobis ultro fert dædala tellus.
Felices iterum, uobis per prata Napææ,
Chloriſq́;, & gratis perfuſa liquoribus Anthis,
Aeternos florum nimbos ſpirantibus auris
Effundant, ſemperq́; recentibus halet
Omnis ager, tetro nunquam uos lædat odore
Putre aliquod, nunquam galcies uos horrida lædat,
Mitia ſed uobis poma omnis proferat arbos,
Et uer purpureum genitabilis aura Fauoni
Aduehat, ut uobis non deſit copia uictus,
Quò uos cunq; pedes tulerint per amœna locorum,
Et tepidi ſemper foueat clementia cœli.

De corde & pulmone nonnulla.

COr medio in thorace ſedet, ceu magnus in amplo
Rex regno, qui cuncta regat, uitamq́; miniſtrat
Artubus & membris: nec erat locus aptior illi.
Nam fons innati eſt, & prima caloris origo.
Inde etenim uarij uelut alto à flumine riui
Proueniunt, cuncta unde leuis per membra uagatur
Spiritus, & defert mixtus cum ſanguine uitam.
At globus hic cordis, uillorum qui ordine terno

Conſtat,

Constat, queis cessit diversa potentia, molle
Os habet innatum, neruumq́;, & se sustinet illo.
Hoc autem natura olli dat sedula sensum.
Huic gemini motus. tenues nam suscipit auras,
Dum se aperit: sumptas, dum se premit, inde repellit,
Concepta expurgans sese fuligine nigra
Ignipotens uigor, ille uigor, quem gignit in ipso.
Pyramidis formamq́; tenet: nam parte suprema,
Quæ molli & lenta est pariter pinguedine tecta,
Est latum: ast alia coni sub imagine desit.
Hæc latus attingit læuum: hinc consistere læua,
Nonnullis uisum est, quos ueri lusit imago.
Vilior illa quidem pars est, hæc dignior: ambas
Circuit inuolucrum, soli domus addita cordi.
Suntq; aures binæ, & uenarum quatuor ora,
Atq; sinus gemini feruènti sanguine pleni.
Nec plures binis uentres in corde repostos
Inuenies, quamuis ingenti animalia mole
Emineant, quamuis illis sint maxima corda.
Nonnullis tamen est unus: nam dexter in illis,
Qui pulmone carent, desit, uocisq́; potestas.
Non uero idem usus geminis, nec munera: namq;
Spiritus it passim uiuax per membra sinistro,
Nutritur dextro pulmo, mirabile dictu.
Quod cum nulla sibi cordis ualidissima uirtus
Nutrimenta

Nutrimenta paret, pulmoni suggerat illa:
Illius hæc quippe est merces concessa labori,
Quo gaudet, dulci fruitur quo lumine uitæ,
Cor cunctis illam præstans quæ in corpore uiuunt.
Namq; capax auræ pulmo, uitæq; minister,
Qui bifidus medium cor ambit.
Per scabram uocis uenam, quæ arteria Graio
Nomine dicta fuit, flatus ultroq; citroq;,
Vitales ducitq; auras, ductasq; repellit,
In follis morem, ut paulo deferueat ignis
Innatus cordi, hunc ductisq; resarciat auris.
Ni faciat, calor ille ingens, quo cuncta fruuntur
Membra hominis uita, paruo pòst tempore prorsus
Desinet, inq; leues se soluet spiritus auras,
Spiritus ignipotens cum nullus pabula præstet.
Non aliter, quàm cum ualidis se uiribus infert
Ignis edax syluis, superatq; cacumina flammis,
Et furit, insanas uires dum sylua ministrat.
Datq; alimenta illi. sed ubi flamma omnia carpsit,
Desinit in tepidos cineres, nigrasq; fauillas.
Vel cum fulgenti illustrat cæca omnia circum
Ignis flamma micans, qui fotus flatibus auræ
Fulget luce noua. sed si compresserit illum
Vas uacuum, desitq; leuis tum spiritus auræ,
Actutum extinctus flammas lucemq; relinquit:

Et modò tam uiuax, tunc demum frigidus alget.

Esse nulli animalium duo corda, sed unum tantum.

NEc dignum est credi, quenquam sub pectore bina
Corda habuisse unquam. quamuis longæuus aruspex
Hæc uidisse ferat, dum forte trementia magnis
Vreret exta deis.
Forte fuit falsa deceptus imagine ueri,
Dum notat exta pater, dum dis pia sacra ministrat.
Namq; duo cum sint uentres in corde reposti,
Inq́; specus morem læuus petat ardua cordis,
Infima dexter habet. qua re sæpissime turget
Proxima pars cono, coni redditq; figuram.
Hinc illis geminas acies, cum pronus aruspex
Vidisset, portenta deûm non æqua putauit,
Ignarus rerum & naturæ noscere causas,
Et bina in solo distinxit corpore corda.
Forte etiam mentita pium mala numina numen,
Illis sacra facit dum pura in ueste sacerdos,
Lumina perstringunt misero, quo ficta tuendo
(Heu cæcas hominum mentes, heu pectora ueri
Inscia, quid uos uana iuuent simulachra deorum
Discite, & insanis adolere altaria domis)
Vera putet, fallatq; alios, quos improba fallit

Relligio,

Relligio, mentesq; premat caligine cæca.
Ceu persæpe solent celeri nos fallere dextra,
Qui manibus ludunt, falsa & miracula monstrant,
Dum ludunt, ficta incautos & imagine ducunt.

Cor quibusdam magnum, quibusdam paruum, & quid horum cuiq; proprium.

NOnnullis autem cor magnum in pectore fixũ est,
Paruum alijs. Ingens illis timor occupat artus
Degener, atq; tenet timidos ignauia deses.
Namq; ollis resides animi, & desueta triumphis
Pectora, inepta armis, necnon ueræ indiga laudis,
Luxuriæ Veneriq; uacant, similesq; puellis
Intextas auro uestesq;, sinusq; crepantes
Gestant, electroq; obducunt molle capillos,
Et picturatis incingunt tempora sertis
Mollia. sed sonitum si qua procul arma dedere,
Horrescunt, gelidaq; coit formidine sanguis.
Vsq; adeò gaudent uitam traducere inertem.
Talis forte fuit, modò uir, modò fœmina Ceneus.
At contrà, hos, queis cor paruum sub pectore uiuax
Exilit, impauidos belli generosa cupido
Excitat, his feruet circum præcordia sanguis
Innatus, gliscitq; uigor, uigor igneus, ipsis,
Excauitq; mares animos, uirosq; ministrat.

Hinc magis atq; magis pulchram per uulnera mortem
Magnanimi quærunt, stricto & concurrere ferro,
Palantes agere & populos, & sternere gaudent.
Dum uiduant multis hostiles ciuibus urbes,
Impauidi, & uicto palmas ex hoste reportant.
Tantus amor laudis, tanta est in pectore uirtus.
Talis Alexander, tales duo fulmina belli
Scipiadæ, geminiq; Atridæ, & fortis Achilles,
Et (mihi si liceat priscis componere nostros)
Talis eras nobis quondam inuictissime regum
Alfonse armipotens, dum fata deusq; sinebant,
Te Romæ tremuere arces, te Thybris in undis
Horruit, Adriaciq; sinus, te miles Hiberus,
Hispanus belloq; potens, te Gallia diues,
Te duce uictrici lætata est sæpe triumpho.
Inclita Atestinæ gentis te gloria tantum
Floruit, ut felix caput inter nubila condat,
Auspicijs beata tuis. hinc fleuit in amne
Te pater Eridanus, tua te Ferraria fleuit,
Extinctum patriæ dominum, patriæq; parentem,
Omnis & amissum luxit decus Itala pubes.
Morte tua Marti riguerunt corda dolore,
Defleuitq; (nefas) scissis Bellona capillis.
Hinc uates, cui sacra dedit sua nomina Phœbus,
Exiguus quamuis uates, tibi iusta ministrat

Illachrymans, totamq́; implet clamoribus urbem,
Et tumulo dat dona gemens, & lilia fundit,
Lilia, purpureasq́; rosas, fulvosq́; hyacinthos,
Et sacros manes pingui ueneratur acerra.

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE
Gyraldi fragmentorum de Humani corporis partibus
FINIS.

CYNTHIVS IOANN. BAP. GYRALDVS COELIO CALCAGNINO SVO S. P. D.



RS I penè ſemper, Vir clariß. incredibili quodam deſiderio cognoſcendi, in quo uis imitationis, ſine qua neminẽ ulla in arte proficere poſſe, mihi perſuadeo, locata foret. Non enim, mi Cœli, ex illorũ ſum numero, qui tantum mihi tribuam, & ingenio meo, perexili quidem, faueam, quòd imitationem, quam Tullius ipſe Romanæ eloquentiæ parens plurimi fecit, ut nũc Eraſmus, & ante ipſum Politianus, impudenter deſpiciam. Quis enim neſcit, quod etiam M. Tullius Cicero in Oratore teſtatus eſt, omnem dicendi rationem, imitatione ſummota, non modò ſterileſcere, ſed prorſus euaneſcere? Et licet hac in re à doctißimis pleriſq; multa acceperim, tamen mihi hactenus (tanta eſt doctorum uirorum hac in re diſſenſio) minime innotuit ipſius uis imitationis. Sunt enim, qui inanẽ tantũmodo uerborum ſonũ imitatori obſeruandum proponant: nonnulli uero lepôrem inſpiciendũ, quidam facultatem, cõplures ductũ, pleriq; figuras, et aculeos. Nec deſunt ij qui ſententias integras, nulla uerborũ facta mutatione, imitatorẽ citra uitium excerpere poſſe contendant. Quæ etſi ad

imitationem non parum conferunt, tamen uix mihi apta uidentur ad eũ exactè exprimendum, quem imitari uelim: & eo minus, quo uix unum aut alterum inueni, qui ſic aliquem imitandum mihi propoſuerit, ut omnia ab eodem accipiam. Nam quoniam uix fieri poſſe opinantur, ut unius induſtria omnia perficere potuerit, hæc quæ ad orationis candorem et ſtili grauitatem attinent, more apum hinc inde perquirenda arbitrantur. Nam ueluti apes, in melle condendo non ex uno tantum, ſed ex omnibus floribus id ſibi colligunt, ex quo mel ipſum condiãt: ita à Cicerone ſchemata, epichere mata, parabolas, ſales: à Quintiliano lepôrem, gratiam, energiam: à Saluſtio ſanguinem, cutem, carnem: à Cæſare neruos, cartilagines, oſſa: à Plinio acumen, uim, ſpiritum: & breui, quæcunq; orationem illuſtrem reddunt, à diuerſis exquirenda præcipiunt. Ego uero in hanc ſententiam eo minus deſcendo, quo ad Oratorem inſtituendum hæc mihi non ſecus attinere uidentur, quàm ſi ad unius hominis generationem, quædam humani ſeminis colluuies expeteretur. Vix enim fieri poteſt, quin illius oratio, q ſic omnia à plurib. men dicat, exilis, arida, eneruata, mutila, inculta, moleſta, ab omni decoro, ab omni deniq; energia ſit prorſus ali ena, illiſq; ipſis obſtrepens, qui eam cõpoſuerunt. Quæ cũq; enim lumen orationi addere deberẽt, ſi ad unius ſi militudi-

militudinem inuicem cõnecterentur, ea à diuersis excepta, & in unã ueluti congeriem coacta, illi obscuritatẽ ac tenebras afferunt. Nam quis omnes hosce poterit imitari, et in unã orationis faciem redigere, cũ sint ipsi dißimillimi inter se, nec omniũ unũ sit dicendi genus? Quapropter licet Erasmus nostra tempestate de his optimè meritus, in Ciceroniano suo ab unius Ciceronis imitatione plurimum deterreat, in superioremq; sententiam descendat (quod etiam Ioan. Franciscus Picus Mirandula, illustris, acriq; uir ingenio, duabus in epistolis ad Petrũ Bembum uirum clarißimum, & in utraq; lingua eruditißimũ egit) tamen cum existimem in omnib. rebus esse aliquod summum & optimum, ita etiam aliquem in eloquentia esse crediderim, qui in dicendo omnia munia obierit: ad huncq; ueluti ad perfectã quandam orationis imaginem, quam fortè cogitatione assequi possumus, uiribus autem non possumus, omnes conatus esse referendos. Quod si is qui imitari uoluerit, eò prorsus non peruenerit, quò & desiderium, et mentis aciem intenderat, tamen ipsi non inhonestum erit, in secundis & tertijs consistere. Cum igitur M. Cicero omnium calculis eò eloquentiæ peruenerit, ut ipso omnis eloquentia nihil maius fingere poßit, in eius lectione mihi semper insistendum, quod Cortesio etiam, Bemboq;, sanioris (ut credo) iudicij quàm prio

res, uidetur, ab incunabilis usq; cõstitui: licet uel ob ætatẽ iuniorem (ualentiorũ enim laterũ hæc sunt) uel quia neminem ducem hoc in stadij curriculo habuerim, parum me adhuc profecisse cognoscam. Idem enim in literis, quod in castris & prælijs, euenire arbitror. Nam ut quicunq; strenuum sectantur imperatorem, et in bellorum discriminibus uersatum, ab eoq; rei militaris peritiam addiscunt, et ad tuendas ciuitates & ad hostium acies oppugnandas longe peritiores atq; acriores sunt ijs, qui se & minus illustribus, & non satis expertis addixerunt: Sic ij ueram dicendi peritiam mihi callere posse uidentur, qui ipsum eloquentiæ parentem sectandum sibi proponunt, et ipsum ad amußim effingere conantur. Vix enim fieri potest, quòd qui Ciceroni addictus fuerit, exactam eloquentiam, maximam rerum copiam, & integram artis oratoriæ peritiam abunde non calleat. Nam ut omittam illam immortalis ingenij beatißimam ubertatem, perpetuamq; illam orationis ac felicissimam facilitatem, quis est ipso Cicerone uel ad docendum, uel ad delectandum, uel ad cõmouendum acutior? quis ad nectẽdos argumentorũ nexus promptior? quis ad propositum firmandum acrior? quis in astutijs parandis uersutior? quis ad dolos euitandos callidior? quis ad inimicorũ impetũ sustinendum promptior? quis in re augenda, uel minuenda uehemẽtior? qs ad animos

uel

uel ad iram, uel ad odium, uel dolorem incitandos uegetior? quis ab ijsdem permotionib. ad amorem, ad lenitatem, ad misericordiam reuocandos aptior? quis uerborum copia locupletior? quis sententiarum pondere grauior? quis figuris iucundior? quis trallationibus magnificentior? quis totius orationis serie magis elaboratus? quis in dicendo candidior? O unicam, atq; felicem M. Tullij eloquentiam. Grandiloquus Cicero, salibus & lepôre concinnus, acer, elaboratus, uarius, acutus, grauis, accuratus, subtilis, lenis, in quamlibet dicendi formã paratus, nec minus in ocio quàm in negocio gratus. Insunt Tullio arma, tela, faces, quib. et manũ comminus conferre poßis, et eminus iaculari, fulgereq; quandoq;, & tonare, & fulmina uibrare, si libeat. Sunt item in ipso excessus amœni, in quibus lassus desideas, & expatieris, & tibi indulgeas, & ingenio lasciuias, si libeat. Quid multa? Nihil uel egregij, uel rari, summi ue in oratione esse potest, quod in Cicerone ueluti in speculo non luceat. Quem si è medio tollas, non lucem modò aut candorem, sed spiritum, animam, uitam ipsam à dicendi facultate prorsus auferas necesse est. Non erit ille igitur prorsus insanus, qui inuẽtis ac paratis frugib. glandibus uesci uelit: quiq; riuos insectetur, & fontem cum limpidißimum, tum uberem relinquat: aliundéq; potius, quàm ab ipso sole lumẽ haurire desideret?

Non tamen

Non tamen ego imitatorem à cæterorũ auctorũ lectione ita deterrebo, ut cæteros omnes despiciendos, solum Ciceronem legendum censeam: (quis enim me temeritatis non prorsus damnet, si hoc ausim affirmare?) uelimq́; unius auctoris angustijs omnia ingenia metiri, quasi in alijs nihil sit aut egregium, aut admirabile, quod obseruari poßit. absit à me temeritas hæc. Sunt enim & alij suæ uirtutes. Quare ego illud uel ultro unicuiq; concesserim, quod cũ firmati erit iudicij, et extra periculi aleam positus (quod tum potißimũ erit, cum Ciceronis dictionem ac stilum usq; adeò imbiberit, ut quoscunque & mentis conceptus, & ingenij conatus, Ciceronis more poßit uel eloqui, uel literarum monumentis complecti) tum demũ et antiquos omnes, & recentiores etiam (non enim seculis nostris usq; adeò fata inuida fuerũt, ut inter nostræ ætatis homines quidam etiam non sint, qui orationis grauitatem ac dicendi candorem ita inuicem coniunxerunt, ut cum Cygno Arpinate quodammodo contendere posse uideantur, & iam iacentem prostratamq́; Romanæ eloquentiæ dignitatem subleuare) & legat, & obseruet, excerpatq́; ex his quicquid ad orationis ornatũ attinere uideatur, siue sententiæ fuerint, siue uerba. ex his enim duobus omnis oratio constat. Quæcunque uero excerpta fuerint, ad unius Ciceronis imitationem conuer-


tenda

tenda censeo. Neq; enim in Catonis duricie consenescendum est: neq; rursus lasciuientium flosculi adeò legendi sunt, ut uoluptati tantum & luxuriæ indulgere uelle uideatur. Quod profectò non eueniet, si & mollium lasciuiam, & antiquorum duritiam, ad unius Ciceronis splendorẽ, ueluti ad examen & regulam quandam deduxerint. Hoc enim duce, quæ duriora fuerint, mitescent: & rursus languidiora, neruos ac maturitatem quandam accipient orationis. Quod si mollia neruos, ac dura gratiam non admiserint, ab integro iudicio prorsus abijcientur. Vt enim inter homines, quidam sunt naturæ adeò hebetis, ut nulla cura uel bonis moribus imbui, uel optimis artib. illustrari poßint: ita etiam quædam sunt adeò per se rudia, ut nullũ prorsus admittant orationis ornatum. Quanquam hæc à Ciceronis assecla felicius tractabuntur, quàm ab aliorũ nemine. Nam si ea quæ Musices sunt, & aliarum etiam artium, quantumlibet rudium, uerborũ ac orationis concinnitatem quandã accipiunt, si de his eloquens aliquis egerit, & felicius ab eo tractabuntur, quàm ab inuentoribus artificibusq; ipsis: cur idem non eueniet in dicendi facultate? illi præsertim, qui in Ciceronis lectiõe diutius uersatus fuerit. Quamobrem, Cœli optime, cum ea me semper tenuerit cupido, ut quantum humana opera fieri potest, Tullio quandoq; simillimus efficiar (satis

tis enim mihi lucrifecisse arbitror, si huius uestigijs aliquando inhærere mihi fas fuerit, quem nunquam mirari desino) cumq́; ex tuis lectionibus mihi satis perspectum sit, quantum Ciceronem *ipsum admireris, & quàm libenter bonarũ literarum sectatoribus operam tuam impartiaris, ad te ueluti ad totius eloquentiæ lumen, pro tenebris meis fugandis, summa cum fiducia me contuli: ut quid in* Cicerone, *ad ipsum, quantum in me erit, effingendum, animaduertendũ sit, ex te perspiciã.* Nec *rem hãc mihi infeliciter cessurã arbitror, si tu, in quo tot ac tanta sunt ornamẽta dicendi, penu hanc mihi patefeceris, et thesauros hosce reseraueris.* Nam *cur non bene sperẽ, te mihi duce? quem alterũ nostræ ætatis* Ciceronẽ *nõ immerito appellauerim?* Nam *cũ nihil in te sit non admirabile, tũ illud præcipue et ego et uniuersus doctorũ cœtus admirari solemus, quod in ipso quotidiano sermone tanta affluas ubertate et facundia, tãta rerũ copia, ut non modò ex ore tuo uerba uel ipso melle dulciora manẽt, sed nihil tibi aut à natura denegatũ, aut à doctrina nõ delatũ esse uideatur.* Q*uare, Cœli optime, cum me in hoc iuuenilis ætatis tyrocinio tibi instituendum tradiderim, per meam in te fidem, per tuam innatam erga literatos omnes humanitatẽ, per spes tuas, perq́; tua uota rogo, ac obsecro, ut desiderio meo facias satis,* Nam *si eloquentiæ fores adeò mihi (ut*

hi (ut spero) patefeceris, quod in illius penetralia mihi ingredi liceat, dabo operam, ut te profectus mei nunquã pœniteat: et quicquid unquam dicendo proficiam, (si modò aliquid unquam profecero) id omne Cœlio Calcagnino acceptũ ferri oportere, non dissimulabo. Vale. Cal. Quintil. M. D. XXXII.

COELIVS CALCAGNINVS CYNTHIO IOANNI BAP. Gyraldo Salutem D.



VOD ego nihil hactenus tuis literis responderim, Vir clarissime, non est quod arbitrere, uel tua apud me studia parum habere ponderis, uel tuam excellentem literaturam non tanti à me æstimari, quanti meritò ab æquo iudice æstimari debet. Sed ita, nescio quo fato accidit, ut cum tuæ ad me literæ perlatæ sunt, essem tum occupationum mole propè obrutus, tum ita uiribus corporis destitutus (nã me insolita quædam stomachi intemperies dies aliquot malè uexauerat) ut ego ipe mei compos non essem. Quare amabo te per communia Musarum commercia, facessat omnis de me sinistra cogitatio, persuasumq; habeas, me in studiosos omnes albam esse lineam, in albo lapide: doctos uero homines, in quorum locum tu honorificum tibi tua uirtu-

tute locum uendicasti, nõ solum amare, sed etiam admirari. An non ego sim mortalium omnium ingratissimus, si pulcherrimis tuis literis non faueam? quib. tantum mihi tribuis, quantum neque uel si immodice sim ambitiosus agnoscam. Qua in re & si animaduerto te plus amori & bonitati tuæ dare quàm iudicio, tamen non potest tua ista præclara in me uoluntas, nõ mihi esse gratissima. Cæterũ illud non dissimulabo, me quàmprimum literas tuas accepissem, constituisse ad propositam de Imitatione disquisitionẽ non prius respondere, quàm auocationes expunxissem omnes, & essem mihi ipsi per ualetudinem restitutus. Sed quoniam tu tuis his urges, ac propemodum cessanti mihi faces subdis, non committam ut diutius officium meum desideres. Abijciã itaq; omnem conctationem, & quæ mature digerere cogitauerã, tumultuario opere in compendium redigam, ut intelligas me tuæ uoluntatis quàm meæ æstimationis rarationem habere maluisse. Vale, et me ama, tui amantissimum. Idib. Quintilibus.

M. D. XXXII.

AD

AD CYNTHIVM IOANNEM BAP. GYRALDVM PHYSICVM COELII CALCAGNINI SVPER IMITATIONE Commentatio.



TVAE literæ, Vir clarissime, magnam mihi profectò spem attulerunt, rem latinam, & egregia studia, facile posse aliquando reparari, postquam & uos naturæ interpretes, & abditarum artium professores, studetis pulcherrimas disciplinas cum eloquentia coniungere. Quas proximo seculo patres ac præceptores nostri, ita pugnare inter se existimabant, ut nulla conditione in fœdus coire posse iudicarent. Eratq; illa sententia iam recepta, atq; approbata, Philosophiam et Oratoriã aduersis frontibus pugnare: eosdemq; phylosophos & oratores nullo pacto posse reperiri. Sed eam sententiã perfacile ridebunt, qui tuas literas legerint, utputà à summo philosopho profectas: in quibus tamen omnes dicendi ueneres, omnes eloquentiæ suauitates admiremur. Bene itaq; ac feliciter res habet: & rectè sapere, et commodè dicere cõciliauimus: & iam linguæ pectus, lingua pectori succinit. Illud uerò mihi

rò mihi iure admirari ſubit, unde tibi in mentem uenerit, requirere à me imitationis rationem, & quid illud ſit quod nos potiſſimum imitari oporteat, quom tu ipſe iam tantum dicendo profeceris, ut non modò tu te ipſum imitari poſſis, ſed alijs quoq; exemplum præſcribere. Sanè ſi ego ad te, hominem tantæ eruditionis, tantiq; profectus, de imitatione ſcribere quicquam auſim, periculum eſt ne quis me improbe facere clamitet, qui Mineruam doceam, in ſyluas qui ligna feram: præſertim cum ex tuarum literarum teſtimonio intelligam, te clariſſimi cuiuſque conditoris ſuper imitatione ſententiã exploraſſe, ac propè nihil inexcuſſum reliquiſſe. ut iam mihi, uel ſi ingenio maxime polleam, nihil fiat reliquum, quod in medium afferre poſſim. Proinde ſi à cæteris ad ſatietatem inculcata, ad aures reuocem, actum agam: ſin abeuntes in diuerſum ſententias, quaſi diſceptator, in trutina expendam, neq; rem facilem aggrediar, in tanta opinionum uarietate: neq; id ſine multorum offenſa efficere poſſim. Ne igitur ad alterũ aut alterum ſcopulum offendam, hæc inita eſt à me ratio, atq; hoc propoſitum eſt temperamentũ, ut prætermiſſis aliorum ſententijs, quid ipſe ſentiã, breuiſſime perſtringam. In confeſſo eſt, imitationẽ omni ætate fuiſſe pernecesſariã. quom enim ars nulla, nullaq; eruditio in ſuis

in suis initijs absoluta inueniatur, sed omnis per suos gradus producatur, sanè eum qui cupit celeres progressus facere, oportet quæ ab alijs inuenta atq; obseruata sunt, ea sibi in exemplum proponere. Quod ni fiat, artes omnes semper ad limen subsistant, neq; ultra progrediantur necesse est. Tantum enim semper promouebunt, quantum unius hominis diligentia & cura adsequetur. Quæ uero ab alijs præmeditata fuerint, et præmunita, ea in obliuionem abire opôrtebit. Hac igitur ratione ars dicendi suis in rudimẽtis semper manebit: et qui animum ad scribendum appulerit, satis existimabit, si ex trib. muneribus, quibus fungi debet orator, unum modò assequatur: & quantum dicentis audientisq; intersit, tantum poßit dicendo proferre. Nam delectare, & permouere, aut parum, aut certe nihil apud se putabit attinere. Admirabiles ergo illas opes Demosthenis, uberrimos illos flores Isocratis, cumulatissimos illos Ciceronis thesauros, nullus agnoscet: sed quasi tum primũ oratoria in lucem prodeat, nunquã ultra infantiam promouebit. Hoc enim accidat necesse est, si ex reb. humanis imitationem ablegaueris. Quam quom omnium, qui recte iudicarunt, cõsensus approbauerit, tum maxime in dicendo hoc nostro seculo necessariam opinamur: quo non solum eloquentia desijt, sed uernaculus etiam ille maiorum nostrorum sermo in de-

suetudinem abijt. Cuius locum fœdißima barbaries, ex uariarum gentium colluuione, quæ superioribus seculis Italiam inuaserunt, coalita occupauit, ut iam proprias & consuetas patrum & auorum uoces requiramus. Quid dicam, quod huic uitio, quod par fuit omnibus machinis à nobis deturbari, ita patrocinamur, ut iam inuenti sint, qui illud rationibus foueant, & certis regulis adiuuent, & si dis placet ueræ ac germanæ latinitati præferãt? Quæ res multa præclare nata ingenia in transuersum abijcit: quippe quæ inuentis, paratisq́; frugibus, glandibus tamen uesci malint. Hoc est, hoc scilicet quod efficit, ut imitatiõis præsidio magis egeamus. Nã antequã maiestas imperij Ro. pessum iret, & splendor Latini nominis obsolesceret, quom cætera ad imitationem uocarentur, uerba certe cum lacte nutricis hauriebamus. neq; in ijs quærendis multus labor relinquebatur: sponte siquidem intra priuatos penates occurrebant. Nunc autem in tam perdita tempora incidimus, ut in uerbis perquirendis etiã frustra laboremus. Nisi ad ueteres, & receptos conditores perfugiamus, quorũ authoritate innitamur, quos imitemur, quorum exempla mutuemur. Nam protritæ uoces illæ, quibus non dico uulgus, et tabernarũ mancipes utuntur, sed ipsi proceres qui rerũ in Italia potiuntur, tantũ abest ut præsidij aut commodi quicquam nobis ad eam rem afferre

ferre possent, ut multo maxime à uia nos deducant, & transuersos agant. Decepti enim uicinitate, & quasi uocum imagine, manifestos etiã solœcismos barbarismosq́; incurrimus, adlecti præserim tabellionũ & exceptorum frequentia: qui omnes has sordes in tabulas formulasq́; suas non dicam promiscue, sed ambitiose, & cum plausu congerunt. resq́; mira dictu euenit, at quanto quisq; corruptius dixerit, eo inter suos populares maiore laude prouehatur, idemq́; ampliore quæstu dignus existimetur. Quid uero ego in hoc censu tantum tabelliones, & exceptores appello? quom iuris Ro*mani, & sanctißimæ philosophiæ, aliarumq́; pulcherrimarũ disciplinarũ professores in hoc maxime errore uersentur? Nam postquã artem dicendi à rerum cognitione excluserunt: id est (ut clarius dicam quod sentio) postquã antiquos scriptores imitari desierunt, accidit illud, quod fuit necesse, ut optimas & splendidißimas cõmentationes fœdißime inquinauerint. Nõ enim iam ex fontib. & cõceptaculis, sed ex impurißimis lacunis uerba, et totam dicendi rationem corriuant.* Hi *sunt, apud quos sol & homo hominem causantur. et qui arcanos naturæ effectus contemplantes, admiratione afficiuntur: quiq; quod in obligationibus præstare debent, illud se manu tenturos pollicentur, tametsi suam caussam tueri soleant ea ratione, quod plus pectori quàm*

linguæ tribuant: quodq́; egregie sentire quàm perpolite loqui, longe præstet. Nunquam tamen illud effugient, quin iure uitio detur, eos res præstantissimas, ac præcipuæ æstimationis, in ordinẽ redigere, ac neglectui habere. Quod si, qui per desidiam feracem agrũ sinebant sterilescere, uel equum ex publico acceptum incuriose habebant, & strigosum esse patiebantur, ijs censoria nota inurebatur: quãto iustius eos damnaueris, qui admirabiles opes ingenij, qui philosophiam, tam quæ ad mores et ad naturam, quàm quæ ad inquirendam ueritatem spectat, rem inter omnes sanctissimam, qua nihil maius aut melius à dijs immortalibus hominum generi datum fatemur, despicatissimo orationis genere deformant atq; conspurcant? Non secus ac perditissimi illi ganeones, qui in Dionysij Syracusani conuiuio exquisitissimas epulas inspuebant, ut soli ipsi sine æmulo eluarentur, ac cæteros conuiuas rei fœditate ab ijsdem absterrerent. Et sanè proximæ ætatis philosophis res magna parte ex uoto processit. nam pleriq; auspicato literis initiati, perterriti portentoso orationis genere, cognitionem maximarum atq; optimarum rerum auersati sunt. Sed ego parcius hanc partem attingam: quod illud genus hominum pridem multorum & clarissimorum stylo explosum atque procissum est. Ego certe de ijs nulla alia causa mentionem feci, nisi ut omnes intel-
ligant,

gant, ob id eos in hanc tam iustam accusationem incidisse, uel quod nescierint, uel quod graue duxerint ueteres imitari: suoq; ingenio freti, quod in ipsis fuit, circa abstrusas ac profundas cogitationes se exercuerint: quod uero aliunde seligendum fuit, dicendi scilicet facultatem prorsus abiecerint. Ex quo factũ est, ut quæ natura seiungi non poterant, orationis & rationis consortia (quæ ideo nobis data sunt, ut nõ modò nobis sapere, sed recte etiã alios possemus admonere) dißilire ac dißidere cœperint. Sed hæc uetus expostulatio: cui facilius obtrectare poßimus, quàm mederi. Ex hac tamen nõ difficulter fortasse elici potest id, quod tu Cynthi à me per literas efflagitabas: Quid sit illud scilicet potissimũ, quod in imitationem ueniat. Recte enim mihi uideor posse respondere, in eo plurimũ esse imitationi locũ, in quo minimus est ingenio. Dicã hoc apertius, si potero: ut intelligas, me desiderio tuo, si modò facultas affuisset, non defuturũ fuisse. Ex ijs quæ in ratiõe dicendi ueniũt, quædã insita sunt in re nobis proposita, quædam in nobis: quædã neq; in re, neq; in nobis, sed peregrè accersuntur. Quod si exemplo uti lubet, quo res fiat illustrior, dicamus inuentionẽ in re esse. Nam dicturus de cæde Clodij, statim tibi proponis seriem ac rei ductũ ad ueritatẽ maxime accõmodatũ. Et quid prius, quid posterius factum sit, quid postquam ad manus uen

tum est, quàm potes perspicue, conaris enarrare. Non quod non possis ingenio quædam præmollire, aut exasperare, ut Cicero fecit, Clodium insidiatorem ostendens, eumq; quantum potuit in inuidiam uocans, contrà Milonem ab omni eximens suspicione: impudens tamen sit, qui tam longe ab historia et à re ipsa gesta euariet, ut nota inficietur, & causam prodidisse suā in ipsis statim initijs coargui possit. In nobis erit exordij apparatus, ut attentum, docilem, beneuolum auditorem protinus reddamus. Id facile fieri poterit, si naturā atq; ingenium hominū, apud quos dicimus, perspexerimus. aliam enim præfationem Cato, aliā Cæsar approbauerit. Tum quomodo quis attentus, docilis, ac beneuolus effici possit, à nobis petimus. Eadem ratione natura nobis suppeditabit, quid prius, quid posterius, quid in medio orationis statuamus: unde elucet admirabilis illa dispositionis coordinatio. Qua qui cōmode uti nouerit, hunc Plato dijs cœlestibus parem existimat. Ad eundem calculū uenit ea pars, quæ argumentis colligit & probat, aut diluit ac refellit alienas argumentationes: In qua si quando cōminus conferamus pedem, altercatio appellatur: quæ una pars omnium maxime paratum atque procinctum ingenium postulat. Peroratio autem & amplificatio, nouissimæ quidem illæ, sed omnium potentissimæ orationis partes, & si à re ipsa

multum

multum trahant, ab oratoris tamen industria ac uehementia imprimis pendent, animorũ motus comitantur. Et hæ quidem omnes licet in nobis sitæ sint, suáq; in nobis habeant seminaria, à re tamen, & à subiecta materia opes & temperamentum quoddam acquirunt: & ut ita dicam, se ad argumenti propositi imaginem propemodum effingunt. Sola est memoria, quæ ita in nobis tota delitescit, ut à naturæ beneficio magis quàm ab ingenij facultate pendeat. Ex ijs quæ neque in re, neq; in nobis posita sunt, sed tota peregrè adueniunt, ea pars est, quæ ad dictionem spectat, quæ orationi supellectilem & domesticum instrumentũ subministrat: & ut ita dicam, tectorium superinducit. quam unam propriam oratori existimauit Cicero: eamq; ita admiratus est, ut eius explicandæ gratia nobilem illum ad Brutum librum scripserit, cui titulum Oratoris fecit. Certe apud Græcos rhetorice non aliunde nomen accepit. Facit enim phrasim; id est, eloquentiæ corpus absoluit. Et quom cæteræ partes reliquis artificibus communes cum oratore sint: nam & præfari, & inuenire, & in membra digerere, tum refellere & asseuerare, & certo fine concludere quæ scripta sunt, solent omnes, qui nomen literis dederunt: sed dicere pro dignitate, & uerba inuenire rei propositæ accommodata, hoc uero proprium est & præstan

tißimũ magni illius eloquentiæ institutoris munus: hoc illud est, quod nemo per se suisq; uiribus confisus, uel diuturnitate tẽporis, uel aßiduitate studij, uel ingenij felicitate unquam adsequetur. hic regnat, hic rerum potitur imitatio. Quisquis uero hac parte imitari fastidit, potest ipse sibi placere fortasse, mihi uero planè operam frustratur: eiusq; profectus conclamatos, ac prorsus defletos puto. Nam quom in oratione præcipua uirtus sit perspicuitas, quî potest ille planè ac latinè loqui, q nescierit se proprijs uerbis id posse adsequi? Propria autem uerba appellarim, quæ in loco nata sunt ad rem ipsam significandam: qualia sunt, quæ à Varrone primigenia nuncupantur. Eius generis sunt, quæ magnus ille dialecticus in Cratylo apud Platonem inuenit: quæ summus philosophus, nõ ille quidem naturaliter facta, (sic enim eadem essent apud omnes gentes) sed hausta ex proprietate naturæ existimauit. Quod si exornandæ orationi quis studeat, quomodo id melius facere potest, quàm si translatis commodè uocib. frequenter utatur? Translatæ autem uoces sunt, quæ ex loco in quo natæ sunt, in alienum migrarunt: quæ quasi stellæ orationi interseruntur. Omnia autem uerba aut seorsum, aut in contextu considerantur: seorsum, ut pura sint, usitata, & rẽ significantia. Quom enim oratio instituta sit in auditoris maxime gratiã, quàm indigna laude sit,

sit, si obscura fuerit, et apud homines cõsummatæ præsertim lectiõis, egeat interprete? In cõtextu aũt orationis uerba cõcinna sunt, apte inter se cohærentia: quæ in ingressu orationis, & in exitu, maximè uoluptati auriũ inseruiant. Illud uero cum prudentia coniunctũ est, ut qui dixerit, intelligat, ac secernat, in quo genere uersetur oratio. Nã eloquens ille, quem se persæpe quæsisse, nunq̃ autem inuenisse Antonius profitebatur, cognoscet à se humilia subtiliter, magna grauiter, mediocria temperate esse tractãda: At hæc tã diuersa nemo efficerit, nisi q suscepto argumento obsecũdauerit, & ad genus dicendi uerba tẽperauerit: ex ijs innumera schemata, ex ijs antitheta, ex ijs epicheremata, et cætera in dicendo lumina effulgent. Quid dicã de numeris? quib. quasi amentis contorta oratio fulgurat, tonat, & in animos hominũ tyrannidem exercet: utpote quos pro arbitrio in omnem faciem tũ odij tum misericordiæ tũ indignationis cõmutat. In numerosa oratiõe Aristoteles pæana quartũ omnib. præfert. Cicero, Brutus, atq; alij lõge diuersa sentiũt. Dichorius Asiaticis oratorib. familiaris est, & propemodum in delicijs habetur: & si uera fatemur, non est alius qui apertius auribus blandiatur. Quanta enim acclamatione Ciceronianũ illud ex Rosciana exceptũ est? Quid tam commune quàm spiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus eiectis?

Ita uiuunt dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant: Ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: Ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: Ita postremo eijciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Ego uero (ut dicam quod sentio) hunc aurium pruritum in ijs omnibus pedibus animaduerto, quos quatuor saltem syllabis metimur, & proximam à fine attollunt. Sit exemplo illud ex Corneliana: Neq; me diuitiæ mouent, quibus omnes Affricanos & Lælios multi uenalitij mercatoresq; superarunt. ob id pæana tertiũ quarto multò libentius prætulerim. Hinc se germanos Ciceronis existimabant, qui hoc fine periodum clauserant, Esse uideatur. Atqui hunc uerborum delectum, hunc apparatum nemo adsequi potest, nisi qui se aßiduæ accuratæq; lectioni dederit: qui in uoluendis scriptoribus, ijsq; præcipuis, se diu exercuerit, & quasi concoxerit, ut ad scribendum deinde subactã operam afferat. Vera est enim imitatio, quæ hac parte plurimum polleat. hæc obseruat, excerpit, seponit: quæ, quom tempus postulauerit, quasi ex penu depromat. Hæc olim erat oratori accommodata, quom adhuc in ipsis crepundijs Latinæ linguæ castitas ageret: quom in theatro uoce una parum commodè enunciata, uniuersus populus actorem exibilaret. Cur enim Cicero de bono oratore pronunciaturus ad populum prouocat?

cat? Cur Demoſthenes una dictione corruptè, ſed ea conſultò prolata, αἰσχύνης μίσθωτος ὦ ἄνδρες, ἢ ὤ; acclamationem totius populi Athenienſis emeruit, μισθωτός, niſi ſi quòd protritæ ac præuolgatæ erãt dictiones, quib. docti indocti promiſcue utebãtur? Alioqui anicula una olitrix nõ annotaſſet affectatum atticiſmum in Theophraſto. Ex quo nobis multo maxima illa difficultas adſurgit, de qua paulò antè diximus: dediſcendi ſcilicet uerba corruptiſſima, quæ alij Gotthis, alij Longobardis, alij Mauris & Vandalis accepta ferunt, ego ex omniũ fece hauſta contenderim. Nouiſſimus autem labor incumbet ediſcendi atq; ebibendi, ſcriptorum ueterum beneficio, non dico quæ optima ſunt: (nam in hoc ueteres ſalua adhuc populi uictoris gentium maieſtate elaborabant) ſed ea quæ non ſint peſſima. quæ ſi non ornamentum orationi afferant, certe dignitatem non detrahant. In collocatione aũt uerborum, & numeroſa oratione, illud non diſſimulabo, nonnullam quoq; partem naturæ deberi, quæ acutis & grauib. omnem pronunciationem modulata eſt: in imitatione tamen certũ eſt partem longe maximã, et ipſam quodam modo ſummã eſſe poſitam. Hinc eſt quod Platonem legentes, heroicã quandam amplitudinẽ haurimus, et afflatu propè diuino incitamur. Qui uero frequẽtes ſunt in lectione Iſocratis, hi comptam, & undiq; picturatam

tam orationem effingunt, palæstræ quàm iustæ pugnæ multo aptiorem. Qui apud Demosthenẽ uersantur, hi bellicum quendam concentũ animo concipiunt, ut pau lo minus ad arma prosiliant, & iam cædem & sanguinem spirent, & uulnera afferre & accipere honestum putent. At quom M. Ciceronem adimus, Di boni, quis habitus oris? quæ animorum imago non se nobis ingerit? quantis ille hastas lacertis in orationib. iaculatur? quos ille clamores, quos tumultus elicit? quoties indignatur? quos ille luctus, quas deplorationes animis inspirat, quom misericordiæ uela intendit? Quale illud: O me miserum, ô me infelicem. reuocare tu me in patriã Milo potuisti per hos: ego te in patria per eosdẽ retinere non potero? et quæ sequũtur. Quæ tantũ secum ignis conuehunt, ut totus auditorũ animus exardescat. Quid in ijs libris, quos de philosophia cõscripsit? quàm presse ingreditur? quàm luculenter enarrat? quàm fortiter redarguit? quàm constanter asseuerat? In ijs autẽ libris, quib. rationem dicendi prosecutus est, rem planè admirabilem præstitit: ut quom libri illi minime sint eloquentiæ capaces, is tanta tamẽ eloquentia illos exornarit, ut non aliunde libentius eloquentiæ rationẽ mutueris, Et quota hæc portio innumerabiliũ laudum? quas eminentißimus ille, et planè incõparabilis orator promeruit, lõge omni inuidia maior: quas præter Ciceronẽ nemo

mo facile enumerauerit. Sed nos hæc pauca ea tātū cau ſa attigimus, ut oēs intelligant, ei q profecturus eſt in di cendo, imitationē optimi cuiuſq; eſſe neceſſariā. qua ab legata ac reiecta, omnes conatus iacere, ac nō aliter eſ- ſe deſtitutos oportet, quàm ſi nauis oneraria pacato in mari, remittentib. uētis, inhibentib. nautis, fluctuet tan tum, neq; promoueat, neq; præſtitutos portus ſibi unq̃ polliceatur. Quod ſi nemo dubitat, quin ad imitandum optimus quiſq; deligēdus ſit: neq; id dubitabit, Cicero- nem ſine cōtrouerſia longe omnibus eſſe preferēdum. Nā ex cæteris una aut altera uirtus peti poteſt, hic u- nà omnia implet munia, ſolusq; pomœria Romanæ elo- quētiæ tantū protulit, quantū imperatorū nemo uictri cibus armis imperiū propagauit. Vt nō iniuria Apollo- nius Molonis, quom Ciceronē Rhodiorantē audiſſet, ingemuerit uicē Græcorū, quib. quom Romana uirtus imperium abſtuliſſet, id, quod unum reliquum erat, elo- quentiā ſcilicet, Cicero quaſi ſpoliū ex deuictis inge- niјs, in Romanā urbem referret. Nec à me quiſquā pu- tet hæc ideo dicta eſſe, quod cæteros ſcriptores in or- dinem redigam, aut ſuo honore fraudatos uelim: Abſit enim à me hic furor. An ego Cæſarem non ſuſpiciam? qui ea ſcripſit animi magnitudine, qua depugnauit. Certe ego, ſi mihi argumentū offeratur, in quo ille uer ſatus eſt, Cæſarem quàm Ciceronem imitari malim.

Quid

Quid Liuium? quid Salustium? Vtrunq; diuersa uirtute eminentem? quid Celsum in re medica? quid Columellam in re agresti? Certe in historia naturæ C. Plinium facile omnibus prætulerim: in cuius descriptione, nemo mirificas illas opes feliciore penicillo expreßit: nemo dulcius, nemo aptius Aristotelem, Theophrastum, totamq́; illam doctißimam antiquitatem sub compendio repræsentauit. Certe me loca quædam ex Cicerone excerpta, et à Plinio repetita cõferentẽ, ingens admiratio peruasit, quom ea cõmodius ac subtilius à Plinio enarrata (meo q̃dem iudicio) offendißem: usq; adeò multi interest, cui quis materiæ describendæ nomẽ dederit. Mirum est enim, quantũ in eo quisq; promoueat, ad quod à natura factus uideatur. Sed corrupta adeò ad nos Pliniana lectio peruenit, ut (quod aiunt) Samnium adhuc quæramus in Samnio. Solent hoc nonnulli percunctari, Nunquid ab eo, quem nobis imitandum proposuerimus, liceat eadem prorsus uerba, nihil immutata, nihil inuersa, in nostra scripta transferre? Anceps quæstio, & super qua neq; uerba, neque rationes desideres: seu tu hanc, aut illam partem propugnãdam, seu oppugnandam susceperis. Quod si testimonijs uti malis, authoritas clarißimorum se utrinq; profert. Mitto cæteros. Sanè Vergilius, Belli ferratas rupit Saturnia postes: et, Vnus qui nobis cunctando restituit rem:

aliaq;

aliaq; loca innumera tum ab Ennio, tum ab alijs prisci seculi scriptorib. bona fide fœneratus deprehenditur. Sicut illud à Cicerone detorsit, Proximus huic longo, sed proximus interuallo. Sed et ipse Cicero: Timor mihi omnem sapientiã exportauit. Et illud: Arcem facere ex cloaca. Nonne & illud Terentianum à Liuio Andronico acceptum est? Tute lepus es, & pulpamen tum quæris. Contrà alius dixerit, imitationem nihil esse aliud nisi imaginem, ad quam stylum quis, orationem'que conformet. Atqui in imagine quædam similia, dissimilia quædam sunt: nulla sunt eadem. Nam si eadem, tum uero eueniet illud ridiculum, quod Lucianus argute illusit in Ioue tragœdo: ut tunc Demosthenem pulchre imitati uideamur, quom Demosthenis orationem transcripserimus: & manifesto in plagio deprehensi, quasi cornicula Aesopi spectatoribus risum præbeamus: uel cõuicti adiudicatiq; creditoribus, nexum ineamus. Sanè huc censuram direxit Aristophanes, quom præfectus bibliothecæ Ptolomæi, adiuratissimos scriptores proscripsit: qui tanti æstimarunt aliena monumenta suis chartis inseruisse, ut ea protinus sui mancipij facta esse iudicarent. Sunt etiam, qui ab alijs accepta ideo mutanda non putent, quod priores illi optima quæq; inuaserint: quibus peiora substituere, non modò turpe sit, sed etiam temeritati finitimum. Rursus

alij fortiter audendū, & cū antiquis intrepide digladiandum suadent. nunquā enim nobis uerba defutura, uel propria, uel translata, uel ex contrario deducta. Exemplo sit, Ea res mihi perpetuò memoriæ condita manebit, Eam rem nulla ætas mihi expugnet aut delebit ex memoria, Ea res nulla unquam obliuione obsolescet. In priore illa sententia fuit Cicero, cuius uerba sub persona Crassi enunciata subijciā, ut res melius intelligatur. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationē maxime, qua C. Carbonem, nostrū illum inimicum, solitum esse uti sciebam: ut aut uersibus propositis quàm maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam quam legissem, uerbis alijs quàm maxime possem lectis pronunciarem. Sed pòst animaduerti, hoc esse in hoc uitij, quod ea uerba quæ maxime cuiusq; rei propria, quæq; essent ornatissima atq; optima, occupasset aut Ennius, si ad eius uersus me excercerem: aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem. Ita si ijsdem uerbis uterer, nihil prodesse: si alijs, etiam obesse, quom minus idoneis uti consuescerem. Aduersus Ciceronem stat Quintilianus: & grauissimo oratori, cui alias reuerenter semper adsurgit, audacter repugnat. Eius quoque uerba non pigebit adscribere, ut quod

quod præclara ingenia utrinq; attulerint, agnoscatur. Neq; ego παράφρασιν esse interpretationem tantum uolo, sed circa eosdem sensus certamen atq; æmulationem: ideóq; ab illis dissentio, qui uertere orationes latinas uetant: quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neq; semper est desperandũ, aliquid illis quæ dicta sunt, melius posse reperiri: neq; adeò ieiunam & pauperem natura fecit eloquentiam, ut una de re bene dici nisi semel non poßit. Nisi fortè histrionũ multa circa uoces easdẽ uariare gestus possunt, orãdi minor uis est, ut dicatur aliquid, præter quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neq; melius quod inuenimus sit, nec par, est certe proximus locus. An non ipsi nos bis ac sæpius de eadem re dicimus, et quidẽ cõtinuas nonnunq̃ sentẽtias? Nisi forte cõtendere nobiscũ possumus, cum alijs nõ possumus. Nã si uno genere duntaxat bene dicetur, fas erit existimari, præclusam nobis à priorib. uiã in dicẽdo. Nũc uero innumerabiles sunt modi, plurimæq; eódem uiæ ducunt: siue breuitatis gratia, siue copiæ. alia tralatis uirtus, alia proprijs. hoc oratio recta, illud figura declinata cõmendat: ipsa deniq; utilißima est exercitationi difficultas. Quid quod authores maximi sic diligẽtius cognoscũtur? nõ enim scripta lectiõe secura trãscurrimus: sed tractamus singula, & necessariò introspicimus:

& quantum uirtutis habeant, uel hoc ipso cognoscimus, quod imitari nō possumus. Quod si mihi in re controuersa liberum permittatur iudicium, illud uideor sine cuiusquam iniuria posse dicere: quædam esse tam propriè, tam apposite, & ad rem explicandam accommodate dicta, ut uix cōmutari poßint, nisi in deterius. Quale Cæsarianum illud: Altero commeatu omnes copias trans flumen exposuit. Et Plinius Cæcilius, quom lachrymas uectigales eorum appellauit, quorum hæreditati pars detrahebatur, nō potuit efficacius rem commonstrare. Quom Cicero integrum discipulum uocauit, satis indicauit hominem nullis adhuc imbutum rudimentis. Neq; illud Ciceronis quisquam melius dixerit: Aut opus sartum redimere, aut operam in diem locare. Quod si hæc usui ueniant, nemini fraudi duxerim, ijs sine ulla interpolatione uti. Quod si quis immutare tentauerit, me quidem iudice, nō id faciet sine affectationis suspicione. Sed quom multo plura sint, quæ uarijs modis dici atq; exornari poßint, & (ut ita dicam) eloquentiæ capacia sint: is apud me longe potior fuerit, qui pluribus luminib. orationem uariauerit, & copiam in dicendo suam approbauerit. Quam rem uideo Senecam Ouidio uitio dedisse. Sed uitium hoc tam amabile est, & magnis ingenijs tam peculiare, ut non altero libentius uelim bene institutos adolescentes laborare.

Illud

Illud erit in imitatione præcipuum, ut à pari, à simili, & quasi ex eadem uicinia multa contrahas, & quasi reponas. Exemplo *sit illud.* Cicero *dixit,* Turpe *esse amicitiam ad calculos reuocare.* Tu *hanc dicendi imaginem mille modis effinges, multiformi'que persona indues.* Nam *& beneficentiam nihil reuocare ad calculos, & probos in promerendo calculis non uti, et ingratos uocãdos esse ad calculos, & neminem esse qui cum bonitate summi numinis poßit calculis decidere: & legem* Talionis *tacito consensu antiquatam, quod paribus calculis iniuriæ pensari non poßint, commodè pro loco & re præsente dixeris.* Q*uærunt humanarum artium studiosi, quis fuerit celeber et ore omnium dictus canon* Polycleti.*Ego eum* Dory*phorum illum uiriliter puerum fuisse arbitror, ex quo omnes omniũ membrorum exemplum sumebant artifices: non ea quidem ratione, ut tam excellentis imaginis membra conuellerẽt: sed ut numeros eosdem tantum, eandemq; proportionem seruarent.* S*olus enim ille artem fecisse artis opere iudicatur. Illud quoque testatum uelim, nullam esse partem in arte dicendi, quæ diuturna lectione, solertiq; imitatione non multo fiat melior atque auctior: siue illa ex re pendéat, siue ex dicentis ingenio .*Nam *& exordia, quæ ex re petuntur: & inuentio, quæ insita est in re: &* coordinatio, *quæ ingenij functio est: cætera deniq;*

quæ ſuperius enumerauimus, ſi ad imaginem optimi & probatiſsimi cuiusq; referantur, infinitũ eſt quanto cul tiora abſolutioraq́; effici poſſint: ſicut & reliqua natu ræ bona, ſi manu tractentur, et mangonis artificio ex- poliantur, ſupra fidem ſplendeſcunt atq; illuſtrantur. Me igitur iudice, primus locus ſit imitationi in delectu uerborum, ſeu quæ ad rem examplificandam, ſeu quæ ad exornationem pertineăt. In reliquis autem, ſecunda rius et poſtremus ſubſideat. in actione incertũ eſt, plus natura an cura ualeat: certe ſuauitas uocis, & literarũ expreſsio, quam in Catulis laudauit antiquitas: quin et oris probitas, dignitas corporis, & faciles membrorũ flexus, naturæ debentur. Nec tamen huic omnia. alio- qui Demoſthenes non tantum operæ dediſſet Androni co hypocritæ: non Auguſtus Phonaſco: nõ Cicero to ties cum Roſcio & Aeſopo contendiſſet: neq; idem op taſſet aliquot locis ſuum ſibi oratorẽ non quidem palæ ſtritã, ſed neq; omnino ἀπάλαιστον contingere. At- qui ne illud quidem omittendum puto: hăc ipſam imita tionem, quã candidatis ſtudiorum ita cõmendatam uo- lumus, ut ſine ea propè inanis ſit omnis opera, tunc de- mũ non ſolum inutilem fore, ſed iacturam etiam allatu rã ijs, qui iam ſuis uirib. uti poſſunt, et (quod adagio tri tum eſt) ſine cortice natare. Alienis enim ſemper ue- ſtigijs hærere, et ſemper aſtris (ut ait Varro) eũ uti, qui

per ætatem stare poßit, atq; ingredi; non modò turpe est, sed periculosum etiam. quom non facile eorum uires coalescant, qui alienis pedibus incedunt, alienis manibus pugnant, alienis oculis uident, aliena lingua loquuntur: sui denique obliti, alieno spiritu uiuunt. Quippe hoc ijs per me liceat, qui nondum in suam tutelam uenerunt: quique per ætatem præmanso adhuc cibo aluntur: quorum adhuc membra fascijs effinguntur. At quorum adulta est ætas, & firmiores lacerti, ij iam prodeant ex umbra, iam prosiliant in campum, iam cum ipso lanista contendant, à quo olim solebant dictata accipere, suasq; cum eo uires expendant. nec cedant, sed contrà potius adsurgant; periculum facturi, an ipsi quoque poßint ordinem ducere, & suo Marte de gradu aduersarium deijcere. Nec sanè hoc loco mihi absurdum uidetur eius fabulæ meminisse, cuius autorem habeo Alexandrum ex Aphrodisiade, philosophum, & in Academia, & in Lycæo præstantißimum. In lucem ediderat Venus Cupidinem. Mirabatur dea quod multos post menses à natali die nihilo auctior fieret Cupido. Quæ causa eius moraretur incrementa, neque intelligebat; neque quid facto opus foret, aut quomodo huic mederi posset incommodo prospiciebat. Fatidicam igitur anum Themin adit, consulit, responsum accipit:

Non antè illum iustos auctus habiturum, quàm Venus alterum filium peperisset, in cuius æmulationem ille succresceret. Venus respõso Themidis accepto, it in Martis complexum, filium alterum parit, cui nomen Anterotis imponit: ceu tu Anticupidinis dixeris. Tum uero mirum dictu, quàm repente, quàm feliciter adolesci: ille. Certatim dixeris alterum in alterum contendere, uter pulchrius ac præstantius se porrigat. Mirantur dij cæteri, tum uero imprimis parentes, tam egregiã prolem exurgere. Ex ijs puto facile colligas, nulla præclara ingenia posse ingentes profectus facere, nisi habeant Antagonistem (ut Græci dicunt) qui cum decertent, qui cum colluctentur. Neque solum oportet, ut cum æqualibus, uiuentibusq; contendamus: sed cum ijs etiam, qui olim scripserunt, quos mutos magistros appellamus: Alioqui futuri semper infantes.

FINIS.

LILII

LILII GREGORII GYRALDI AD CYNTHIVM GYraldum Epistola.



VDIERAM quidem antea istic Ferrariæ gentilem quendam meum ad optimas artes, bonasq; literas pleno gradu procedere: famam hanc nonnihil auxerat Fabius Antimachus, qui hic apud nos medicum agit, iuuenis raræ & spectatæ indolis. Nuper uero cum à Pico uocatus Manardus, non iam ut antea famam, sed certißimam quondam mihi tuæ & eruditionis & elegantiæ formam impreßit, ut eum ego erga te amorem, ac beneuolentiam conceperim, ut miro ac incredibili tuarum literarũ desiderio arderem. Sed bone Deus, quanta nunc mihi facta est amoris & charitatis acceßio, cum cultam ad te Cœlij de imitatione cõmentationem, dignißimã illam quidem imitatione, mihi legendam transmisisti? Cœlij inquam illius, qui unus hoc fermè tempore Varronis & Plinij eruditionem, cum M. Tullij eloquentia coniunxisse uisus est, orbemq; illum disciplinarum, interiorũq; ac reconditarum literarum clarißime patefecisse, quem iure quidem ego à primis annis & colui semper, & suspexi, & me nonnihil ab eo fieri, in coronis gloriari soleo. Amorem ergo ac beneuolentiam erga te meam cumulatißimè auxit

Cœliana cōmentatio. Sed quid dicā? quod fieri uix posse credidissem. Expectationem meam longe superauit tuarum epistolarum lectio, ex quibus planè percepi, eò te breuissime peruenturum, nisi alia te forte studia impedierint, quò adhuc paucissimi peruenerunt, nedum sunt ausi aspirare. Perge, quæso, hoc gradu, mi Gyralde charissime: hāc tu assidue incudem tunde: nec patiare, ut barbarorum hominum studia, te à tanto incœpto deturbent. &, ut adhuc præstitisse uideris, tu tibi consta, & qua cœpisti simul & eloquentiæ & sapientiæ uia grassare. Hic me Gyralde cōtineo, ne te, qui per te sapis abunde, docere uidear, et sus Minerā: ne'ue malignus aliqs, aut inuidus, ut sunt pleriq; omnes hac tempestate, putet me familiæ necessitudini et nomini adulari, blandiriq; magis quàm ex animo dicere. Cæterū quoniam ex tuis literis, te cupere uehementer uideo, quid de imitatione Cœliana Picus ipse sentiat, meis ut tibi literis significem, longior sim Gyralde, si cunctá uelim hic tibi perscribere, quæ statim ille audita tua primum epistola, dein Cœliana commentatione, dixerit: ut est homo omnium facundissimus, cum aliquid ipse suis uerbis declarandum aggreditur. In summa, in sua se ait persistere sententia, quam longiusculis duabus ad Bembum nostrum epistolis pridem datis est executus: quas & te uidisse ex tuis literis facile colligo. Porrò

quo-

quoniam & meam quoq; sententiam rogas, tametsi ex quo Romana me tempestas sic fortunæ fluctib. obruit, ut nulla sit amplius emergendi spes reliqua, amissis nō modò amicis & opibus, sed & corporis ualetudine, totum me, ut nonnihil à procellis subleuer, lectionum uarietati omnis generis auctorum addixi, quæ pro eorum oratione legentis stilum huc illuc in diuersa rapiunt. nihilominus, ne non ex parte morem tibi geram, paucissimis accipe, quod mihi nunc occurrit. De imitatione generatim, & in uniuersum non satis recte quenquā hoc tempore præcipere posse crediderim. Nā (ut mihi quidem uidetur) bifariam imitatio ipsa est partienda. aut enim candidato, aut adulto præponitur: hoc est (ut planius loquar) aut rudi, & uix initiato, nec dum satis offirmato: aut erudito, & probè in literis uersato: (neq; enim cum tardis & conclamatis est sanè nobis laborandum.) Ergo si rudes, & candidatos, dociles tamen, ad imitationem uoces, multo optima mihi Bembi præceptio uidetur. Id'que etiam eò usque faciendum censeo, antequam quicquam aliud eruditionis & disciplinarum attingant, donec non tantum animus imbutus ipse, sed eo etiam aures tritæ ita occalluerint, ut ferre nequeant, imò etiam aspernentur, quicquid suæ fuerit dissonum imitationi. Iam uero si doctos & eruditos ad imitationem prouocare uelis, nostri Pici,

&

& Cœliana ſententia idonea magis uidetur, ad eam præſtandam. Nã utriuſq; ratio ab eodem fine non ualde declinare uidetur, ſi modo utramque recte perpendas. Tum illud quoq; diligenti cautione curandum eſt, ne quid inuita (quod aiunt) Minerua; & repugnante natura hominem, ut cæteris in rebus, ita in imitatione aggredi præcipias, quando diuerſæ ut facies, ita ſunt ſpecies, & imitationum ideæ: ſed ſuam quemq; iubeto naturam, & (ut dicitur) Geniũ ſequi. Nam ſi me diuinam illam Platonis amplitudinem, & Iſocratis myrothecia imitatione conſequi iubeas, fruſtra id cupias. humi enim (ut uides) ſerpens, uix ego queo floſculos colligere. Illud etiã non mediocri cauendum cura, ne dum imitatores eſſe cupimus, in uitium incurramus quod Græci ab inepta imitatione κακοζηλίαν uocãt: uel quod Lucianus cuidam Thucydidem imitanti obijcit. Atq; hæc pauca tibi ea ratione duntaxat ſint à me perſcripta, ne aſpernari uidear, quam tantopere concupieram, oblatam mihi beneuolentiæ & neceßitudinis noſtræ complectendæ occaſionem. Vale, & ſi me ſi mutuo facere cupis, ama.

FINIS.

ERRATA INTER EXCV-
dendum commiſſa ſic
emenda.

PAg. 24. uerſ. 16. lege, *placidiſſima* 25. 19. *caſſide* 27. *ult. defigis* 29. 14. *Ipſe ſibi* 30. 23. *Erga* 32. 7. *lætoſq;* 33. 1. *Dux* 39. 5. *perpetuæ* 42. 13. *monilia* 49. 14. *appulerim* 84. 1. *omnia.* 88. 10. *Virgineumq;* 102. 6. *gelu* Ead. 19. *euigilata.* 104. 3. *lecti* Ead. 7. *ſtirpis* Ead. 11. *Alpheſibœi* 107. 19. *uerſicoloribus* 117. 20. DVLCISS. 191. 11. *glacies* 207. 20. *ipſe mei* 208. 18. *rationem*

BASILEAE IN OFFICINA RO-
BERTI VVINTER ANNO A NA
tali Christi M. D. XXXX.
Mense Martio.



ANTONII GERALDINI POETAE LAVREATI BVCOLICA,

antehac paucis uisa.



PER ROBERTVM VVINTER,
BASILEAE, ANNO
M. D. XLIIII.

AVCTOR CARMINIS De Seipso

TRes mihi dant nomen terræ, treis laudibus orno,
Oenotriam, Hesperiam, Trinacriamq; plagas.
Illa tulit, fouet hæc retinendo, tertia pascit.
Sicq; genus, sic ars, sic mihi fluxit honos.
Stirpe Geraldina ducens Antonius ortum,
Temporibus lucem Principibusq; dedi.
Nam lustraui orbem Regum Legatus, & horum
Descripsi uarijs gesta decusq; modis,
Hæc mihi ter denos intra sors contigit annos,
Mox sacer ad sacras res mea uota tuli.
Namque elego Fastos, lyricis sed uersibus Hymnos,
Heroico cecini Mystica Sacra pede.
Fernando fœlix uixi sub Principe, sub quo
Maurorum Europæ cessit ab orbe genus.

HIERONYMVS GVNTIVS, IOANNI VVILHELMO Reifensteino, Adolescenti disciplinis liberalioribus æque ac Maiorum imaginibus undecunq; clarissimo, Domino & Amico suo Salutem.



Vum nuper admodum Gilbertus Cognatus uir clarissimus Roberto nostro Chemerino cõmuni Amico Bucolica ista exhibuisset ædenda, non sine graui ipsius iudicio id factũ cognoui planissime. Apparebant enim cultu neglecto, si quis obiter soliũ inspexisset, uelut tineis & blattis ab oscitantioribus quidem illis obijcienda, & quondam inter ipsas sordes (malum) sordidos libellos abiecta, interq; euulgandũ à principio negligenter culta & tractata, adeo in his plurima deprauata, manca, inuersa que extabant uicio certe eorum, qui pri

mo & aliquàm multis retro annis excuserant. Postquam igitur ad meas manus peruenerunt, cœpi & ego cum Gilberto homine facile doctissimo admirari ter maximam sanctimoniam, doctrinamque summam, cœlestem dico, quibus undiquaq; ad cœlum usque hæc referta sunt Bucolica. Quod genus poematis de industria suo proposito Antonius Geraldinus Vir, si quisquã alius, immortali gloria dignissimus accõmodauit dexterrime simul ac felicissime, ut iudicabis ipse etiã, sat scio. Sed hoc super omnia animum meum subito gaudio totum perfudit, quod intellexi aliqua à Græcis Vatibus & Theologis in sua transtulisse cum maxima laude. Nam quis non ex Nonni Vatis Græci proœmio, qui Diui Ioannis Euangelium carmine uere heroico & augusto παραφραστικῶς reddidit, hæc tria saltẽ carmina in Aeglogam

gam ſecundam optime translata deprehendat ac agnoſcat:

Nam Puer in cœlo genitus, ſine Matre, micanti,
Immenſus, conſorsq; Patris, Patriq; coæuus,
Hic Genitore carens, in terra natus agreſti,

Et cætera. Ne itaq; liber hic tanquam ab ingratis, ſine commendatione & ſtudio diligẽti aliquo etiã noſtro prodiret, Roberti iuſſu, inter media negocia inſaniſsima, hæc ad te quaſi præfari licuit. Accipies autem hoc, quicquid eſt, pro ſtrena, qua initio quolibet noui aduentantis anni, Amici ſe mutuo exhilarare ſolent. Cuius quidem et nunc ego tibi felix initium ſimul hoc, ſimul illud, tum feliciorem ſucceſſum, feliciſsimumq; exitum precor et opto, atq; nuncupatione iſta ex animo bene ominor. Vale.

Baſileæ, XII Decembris, Anno M. D. XLIII.

ANTONII GERALDINI POETAE LAVREATI, IN BVcolica sua, ad illustrem Dominum Alfonsum, Regis Hispanorum Filium, Præsulemq; Cæsaraugustanum Procemium.



I omnis humanæ philosophiæ ratio hoc in primis iubet, ut quod quisq; profitetur, id præstet, nescio profectò illustris & amplissime Alfonse, Hispanorum Regum soboles, quid meo muneri cõuenientius rear, quàm res sacras scribere, qui sacris iampridẽ initiatus, Protonotarij apostolici titulo sum insignitus. Cuius quidem muneris ea prima fuit institutio, Clementis, Antheri Fabianiq;, maximorum Pontificum decretis, ut gesta Martyrũ, Sacrarumq; rerum mysteria literis commendarem. Quod profectò eo libentius sum aggressus, quod te Cæsaraugustanum Pontificem ad religionem cœlestemq; illam sapientiam, quæ ex ueri Dei cultu manat, ea ætate, qua nunc es, tenera scilicet, & uix pubescenti, procliuiorem, quàm reliquos maturos nostri seculi Viros cõperi. Cuius

castis

castis & sanctissimis auribus illa tantū digna iudicaui, quæ & sancta essent & Diuina, existimans etiam me non nihil luminis allaturū his, qui res Christianas Latine aut discere aut docere alios uoluerint. Quod secus ab alijs factitari audio, qui poeticam magis imitatione, quàm arte sectantes, ad gentilia relabuntur, nec quicquã nisi ethnicum, aut profanum potius, canere consueuerūt. Quod si probari sensero, statim Hymnos nostrorum Heroum, & Fastos, quos paulo ante incepi, absoluam. Vale interim, & ingenijs, ut soles, faue.

AEGLOGA PRIMA DE SALVATORIS NOSTRI NATIuitate. *Interlocutores Mopsus & Lycidas, hoc est ipse Praesul Caesaraugustanus, & Auctor carminis.*

MOPSVS.



Vid gelidi uitrea dum sic recubamus in herba,
Non placidum bifori modularis arundine carmen,
O Lycida? Resonant quo curuo margine rupes,
Proximus, & labens per culta resultet Hiberus,
Defluat ac placidis applaudens Gallegus undis.
Quis te torpor habet? Dudum mulcere solebas
Pastorum tetricas blandis modulatibus aures.
Ly. Cur me Mopse iubes calamos tentare repostos,
Cum frenat fluuios glacies, cum lamina ferri
Dissilit, & coeli durescunt uina rigore?
Non melius liquido celebrabimus ocia mulso,
Dum congesta focis crepitant mala robora trunci,
Et festum Geniale monet, ritusq; Parentum,
Insomnes uario noctes deducere ludo?
Mo. Id uulgus, uanaeq; solent seruare puellae
Et pueri, quibus est damnosi cura fritilli,

Tempora

Tempora quos pingui, mos est, onerare Lyæo.
Nos alios operum ludos decet edere, nostra
Quin age dudum aliquid dignum meditare Minerua.
Frontis honos, studij grauitas, ætasq́; uirilis,
Nil fluidum, nil turpe sinunt, uel inane uel excors.
Ly. *O decus ætatis nostræ, qui moribus annos*
Anteis, exuperasq́; Senes uirtute uerendos,
Spem ne tuæ cantare iubes Puer indolis, an quæ
Iam dudum ipse parens armenti diues Hiberi
Ampla repurgatis patefecit pascua syluis,
Affixitq; lupos crucibus leo, strinxit & ursos,
Serpentesq́; truces, dirarum & monstra ferarum?
Mo. *Non cupio ista mihi narrari, non etenim ipsi*
Præbemus faciles ultro assentantibus ansas.
Sed quæ de Puero potius solennia nato,
Vnde salus orta est, unde hæc tam clara uidemus
Lumina, dic sodes, & mystica sacra referto.
Ly. *Me miserum, quis me uasti iubet æquoris undas*
In scrobis exiguæ puteum conferre pedalem?
An nescis subita Theopompi lumina nocte
Obriguisse, Dei dum se temerarius index
Ingerit arcanis, & uerbis sacra prophanat?
Mo. *Nil timeas. Animos Deus inspicit. Et tibi candẽs*
Si modo consultrix aßistat in aure columba,
Non Lycidas, sed Homerus eris, porrectus in altum,

Serpere nuper humi consuetus homuncio. Posthac
Has totas celsa superabis fronte cupressos.
Ly. Vellem equidem, sed me nimius pauor occupat. Et-
Pressa mihi, fuerat similis hastilibus, horret (quæ,
Cæsaries, torpetq; hyemali frigore corpus.
Et noctem referens nocturnum agit Hesperus agmen,
Qui lato diffusa polo mox sidera pascet.
Mo. Improbe quid damnas hyemẽ, quid Vesperis horas?
Bruma fuit, tardas & habebant tempora noctes,
Cum petiit teneram pariturae Virginis aluum.
Vesper erat, cum se nostris Sator intulit oris
Iusta laboriferis dispensans dona Colonis.
Ly. Vera refers, atq; omnis idem Vicinia cantans
Asserit, alternisq; emulcet cantibus aures,
Fatidici in primis Vates, quorum inclyta primo
Cornibus, ut celeri Fauno, frons fulsit eburnis,
Isq; his prædixit Diuinum ambagibus ortum.
Ecce rubum uideo flammis crepitare coruscis,
Non tamen ipsa ullo fruticis fastigia damno
Comminui, quamuis ignis uagus omnia carpat.
Accedam. Deus ecce, Deus, qui cuncta nouando
Permutat rerum facies, & secula lustrat.
Arentem uirgam Frater dum ponit in ara,
Corticibus subitis emittere germina uidit,
Et florem & uirides producere phyllida ramos.

Ast alius

Ast alius quatiens ferrata caßide uultus,
Rector ait Superûm, certæ da signa salutis.
Si iam tota nouis madeant hæc uellera nymbis,
Dum circùm æstiuo torrentur cuncta calore,
Et rursum dum terra fluet conspersa sub undis,
Si tantum hæc fusos pellis non senserit imbres,
Huius ero populi defensor. Nec mora, lanæ
Intumuere undis, tellus stetit arida circum,
Mox maduit uiridis non sparso tergore campus.
Hinc quidam occurrit, quem sic annosa Vetustas
Præfatum quondam non læto prodidit ore,
Aspicio portam, Solis conuersus ad ortus,
Clausa fuit semper, claudetur & omnibus horis.
Hac Deus ingrediens, hinc est egressus, & idem
Hinc residens puri libauit crustula panis,
Atq; ideo calcare nefas hæc limina cuiquam,
Nec licet humanis temerari paßibus aulam,
Quam formans Deus, æterno sibi uecte dicauit.
Nec mihi tu prima signans lanugine malas,
Prætereundus eris sacer Heros, ipse tremendam
Prospectas statuam, cuius fuit aurea clari
Effigies capitis, pectusq; & brachia candent
Argento, femora & uenter stant ære sonanti,
Ferrea crura pedum, uisa est pars ultima partim
Ex ferro, partim è terra concreta tenaci.

Hinc

Hinc lapis, haud ullis manibus de uertice montis
Abscissus, molem inuasit, signumq; repente
A pedibus, pulsum horribili cecidisse fragore
Et testam & ferrum, simul æs reliquumq; metallum,
Omnia trita, uelut tenues uolitasse fauillas,
Nec mansisse uides operis uestigia tanti,
Quin lapidem summa collis de parte reuulsum,
Hinc saxum, hinc rupem, tumulũ dehinc deniq; factũ.
Paulatim in montis dorsum creuisse supremi.
Verum longa mora est, Vatum prædicta referre,
Omnia nec tenues tanta ad molimina uires
Sufficiunt, nec fert tam magnos fistula cantus.
Hunc sacri Patres, & quas dixere Sibyllas,
Fœminei sexus Vates, & numina gentis,
Venturum uarijs præmonstrauere figuris.
Ac uelut optatum designat Lucifer ortum,
Nascentem nitido præcurrens lumine Solem,
Sic hunc terga gerens setosi hirsuta cameli,
Præuius extenso populis procul indice Cursor
Crimina tollentis specie monstrauerat agni,
Quem prius intra uterum Matris ueneratus anhelæ,
Prægnantis subito concußit uiscera motu.
Hunc Puerum tellus oriturum sensit & æther.
Omnes esse Deum simul asseruere, Virumq;
Progenitum, ut fragilis deleret crimina mundi,

Non

Non læsisse aluum, castæ nec membra Parentis,
Qui uenit è cœli regione salutifer orbi,
Non demum, ut reliqui, mortali semine cretum,
Sed genitum ex uerbo moderantis cuncta Tonantis,
Flaminis æterni insertum Diuinitus arce.
Sed cur tam lento passu procedimus? Ecce
Aliger è supera descendit Nuncius arce,
Gaudia læta ferens Pastoribus. His quoq; si uis,
Cum boue, cumq; asino, gelida ad præsepia iuncti,
Diuinum Infantem proni ueneremur. Vterq;
Pergamus, nam pone greges deducet ad undas,
Cui modo commisi, pecorum doctißimus Alcon.

AEGLOGA SECVNDA

De Regum adoratione ad infantē Iesum. Collocutores ipsi Reges, Caspar, Baltasar, & Melchior, sub nomine Granici, Batti & Myconis, Pastorum.

SIgna noui partus primos orientis in unum
Excierant Reges, & toto fulgida cœlo,
Nulli nota unquam, aut alio sub tempore uisa.
Præsignabat iter iam tractu stella corusco,
Deducens longos flammarum lumine sulcos.
Est locus, Agricolæ quem tum coluere Sabæi,

Totus odoratis exhalans undiq; syluis,
Cinnama qui costumq; ferat, qui diues amomi,
Balsamaq; & myrrham occiduas transmittat in oras,
Paßim ubi uirga sacris consurgit thurea guttis.
Hic quoq; fœlices nardi nascuntur aristæ,
Et quodcunq; omni in patria mercantur aroma,
Seu radice ualent, seu trunco & germine, siue
Vtile corticibus sudore aut glutine lignum,
Seu lachrymis opus est, aut flore aut frondibus usquã,
Siue uoluptatis cuiquam est, seu cura salutis.
Nec caret aut gemmis, aut fului dotibus auri.
Cui uicinus Arabs, sinus & quem Persicus ambit,
Distat Erythræi nec multum à gurgite Ponti.
Hinc tres ex tantis opibus tria mystica sumunt.
Aurum, thus, myrrham, Puero munuscula nato.
Sic olim Salomon, solio sublimis eburno,
Splendida suscepit magnorum munera Regum,
Imprimisq; Sabæ Reginæ ingentia dona,
Cynameas messes, gemmas, auriq; talenta,
Quot nunquam sacram congesta feruntur in urbem.
Atq; ita, qui multo languebat Granicus æuo,
Vix sua membra ferens, & curuo uertice nutans,
Albior, & uetulo sub mento hirsutior hirco
Eloquitur, mulcens promissam in pectora barbam.
Gra. Batte, Senes inter nondum numerande, nec ori

Accedens Iuuenum, medio sub limite uitæ
Curris adhuc uictor, tuq; ô, cui prima iuuentæ
Tempora cœperunt flauis pubescere uillis,
Clare Mycon, pleno captatis pectore somnos.
Nec pudet in tanta radiorum stertere luce?
Hoc iubar, hoc nitidum speciosa lampade sidus,
Credite, non nostris nequicquam apparuit aruis.
Nam Puer in cœlo genitus, sine Matre, micanti,
Immensus, consorsq; Patris, Patriq; coæuus,
Hic genitore carens, in terra natus agresti,
Prodit ab angusta non tactæ Virginis aluo,
Lactis opem sumens, qui condidit omnia nutu,
Nec quas pauit oues, pariter cum stirpe peremit.
Et Deus humano uisens sub corpore terras
Ad præsepe iacet, quod nunc præfertur Olympo.
Hic tegitur laceris uix membra infantia pannis,
Vt doceat Proceres, nimios contemnere luxus.
Venit enim, ut renouet perituri secula mundi,
Mersurus summos, humiles ducturus in altum.
At Genitrix teneris immulgens ubera labris
Aspectat, qualem pictis per templa tabellis
Aligerum Veteres Puerum coluere figura,
Non face, sed uultu atq; oculis qui spiret amorem,
Huic igitur nostri cultus monumenta feramus.
Bat. Battus ad hæc. Dudũ mihi mẽs præsaga mouebat
Sopito

Sopito miras somni sub imagine formas.
Nam uisum est moto reserari cardine cœlum,
Diuinoq; agros omnis lustrarier imbri,
Nec mihi tam placidam nox attulit ulla quietem,
Huic igitur nostri cultus monumenta feramus.
My. Excepitq; Mycon. *Et nunc sic uisa secundet,*
Qui tener in duris uagit præsepibus Infans,
Vt nunquam tanta cepi dulcedine somnum.
Nam modo sublata in nubes ceruice, uidebam
In terras cœlum ferri, labentibus astris,
Rursus humum cœlos miro transcendere motu,
Atq; Dei atq; hominum commercia fœdere certo
Sanciri, ut regnent æterna in pace per æuum,
Huic igitur nostri cultus monumenta feramus.
Arripiamus iter, nec nos uia terreat. At uos
Quos usus docuit, monuit quos grandior ætas,
Dicite, digna satis Puero quæ dona paremus?
Gra. *Granicus hæc. Haud ulla satis mihi digna uiden(tur.*
Sed cum uenturi sit nota potentia regni,
Cum uideam turmas, uictriciaq; agmina, circùm
Ardenti studio innumeros paritura triumphos,
Laurigerosq; Duces, oneratos brachia palmis,
Purpura quos roseo uestit decocta cruore,
Cum celebrem augusta cernam grauitate Senatum,
Scribasq́;, & niueæ suffragia publica plebis,
Huic

Huic ego non frustra fuluum dabo cernuus aurum.
Bat. Ast ego, Battus ait, quoniam laturus in orbem
Est alios mores, mira pietate Sacerdos,
Tollet & antiquos ritus, & sacra nouabit,
Vitalem instituens sanctis altaribus escam,
Postremæ ut celebrent populi mysteria cœnæ;
Huic offerre paro preciosi thuris aceruum.
My. Deinde Mycō fatur. Ne illuc sine munere pergā,
Ipse feram Puero lachrymosæ uascula myrrhæ.
Nam cum sit gelidi subiturus claustra sepulchri,
Manibus ut uacuet sanctorum Tartara Patrum,
Et spolijs redeat rediuiuus Victor opimis,
Tertia cum trepido noua lux effulserit orbi,
Cum pompa nitidum leuis ascensurus Olympum,
Nil tali reperire queam opportunius acto.
Sed modo cur pandos cessant onerare camelos?
Cur iumenta tenent? Quis nos remoratur? Eamus.
Et iam præcedit, quod ituros prouocet astrum
Grande, suo illustrans montes & plana nitore.
Liuidus Herodes Puerum ne lædere posit,
Cum cædet teneros gladijs immitibus agnos,
Post alio in nostras redeamus tramite ualles.

AEGLOGA TERTIA, De Ioseph & Maria. Sub nomine Iosephi ac Mariae questus de Filio amisso, eorumque ac Iesus Filij, tandem reperti collocutio.

IOSEPHVS.

HEu, spes ampla domus, nostrae lux unica uitae,
Et Superis dilecte Puer, placabilis imis,
Candidior niuibus, coeli rutilantior astris,
Qui nunc solus abes nobis regione relictis,
Quo sine iam praeceps inuitus demoror aeuum.
Certe ego credideram, dum magni ex aede redimus,
Festa luce sacrae lustrantes moenia terrae,
Inde Mares, atq; hinc Mulierum maximus ordo,
Tecum foemineos coetus celebrasse Maria.
Ma. Immo ego iuncta sequi tecum uestigia rebar,
Et Puerum potius lateri accessisse paterno.
Sed tritum relegamus iter, quaeramus & unà,
Quem modo seiuncti Puerum dimisimus ambo.
Iosephe quid cessas? Nodosum sume bacillum,
Quo melius possis plantas fulcire trementes,
Nam timeo, ne quid casus occurrat acerbi
Interea. Huic gentes pridem insidiantur iniquae,
Et sensi, & nostrae est pignus Puer ille salutis.

Ipra,

I præ,nanq; sequar,pergas quocunq; licebit.
Io.Sanguine iūcta mihi,atq; eadē sanctißima Cōiunx,
Sed lachrymis uincor,nec quicquam cerno profusis.
Nec timui,tibi testor enim,tum deniq; tantùm,
Cum te prægnantem nostro non semine uidi,
Virgineum quemquam ueritus libasse pudorem,
Nec dum cœlestis firmatus uoce Ministri,
Te uolui in patriam externam migrare relicta;
Quantum lassa nouus mihi concutit ilia terror.
Ma. Ipsa quoq; extimeo,non nunc secus excita,q̃ cùm
Monstriferam Aegyptum,Niloticaq; arua secuti,
Infantem intrepidum timidis portauimus ulnis,
Ne ferus Herodes crudeli occideret ense.
Sed quis me miseram tantum tolerare docebit,
Quæ uix ferre queam præludia prima doloris?
Sensi quando recens cruor est effusus ad aras,
Assumptæq; dedit carnis libamina prima,
Dum Puer antiquo posuit præputia ritu.
Sensi etiam,sacram quando est oblatus ad ædem,
Cum Simeon,sæuus penetrabit ad intima,dixit,
Ensis,& immenso feriet tua corda dolore.
Non frustra Salomon nostræ lamenta querelæ
Edidit,accedam dicens,quæramq; per urbem,
Si forte inueniam,quem mens mea diligit,usquam.
Io.Hic potius quæramus eum,uicinia nostra est,

Forte latens inter ſocios charos ue propinquos,
Vt Phœbus tandem, depulſa nube, nitentes
Oſtendat uultus nobis, orbemq; ſerenet.
At cur hic tantum ſtudio exercemur inani?
Iam lux exacta eſt, nec uico apparet in omni,
Cras melius celeres urbem templumq; petamus.
Ma. Vt ſuades uenerande Senex, comisq; Marite,
Cui mea uirginitas tuto commiſſa fideli.
Sed rogo, nunc laſſos artus compone cubili,
Et paulum tacitæ concedens lumina nocti,
Depoſita tenues grauitate recollige uires.
Interea æternum ſupplex orabo Parentem,
Vt noſtram, utq; ſuam ſobolem tueatur ubiq;.
Io. Iam luces abiere duæ, & nunc tertia fulget,
Perluſtrans orbem croceis Aurora capillis.
Neſcio quid, Coniunx, lætum mens nunciat. Ecce,
Nonne uides, celebris cum templi tecta ſubimus,
Biſſenos Puerum qui uix dum compleat annos,
Mutua cum doctis Senibus conferre diſertum
Eloquia, & tantam ſapiendo euincere turbam?
Ma. Cur ita ſolicitos feciſti Nate Parentes?
Dum ſimul ignaros rerum, uitæq; tuæq;
Meq; patremq; tuum non læta mente relinquis,
Perq; uias, plateas, perq; omnia compita laſſas
Quærendo. Nempe ipſe tua pietate priores
Exuperas,

Exuperas, meliusq́; sapis, quàm quicquid ubiq;
Est hominum, fuerit ue unquam, aut deinde futurũ est.
Ies. Pone, precor, tristes Genitrix pulcherrima curas.
Quoq; magis castæ tu pignus diligis alui,
Hoc magis amißi fœtus solare laborem.
Et quem rite colis, proprio sine munere fungi.
Nam superi mandata Patris faciamus, oportet,
Ipsius ut uerbo genitum me sentiat orbis.
Quemq; olim ad pugnam egressum Betelemica tellus
Prima tulit, paulùm nunc Nazaræa tenebit,
Vltima post solum cernent certamina muri.

AEGLOGA QVARTA, de Baptismate & tentatione Saluatoris. Collocutores, Iesus & Diabolus, sub nominibus Iollæ & Charonis.

SEtigeri Vatis manibus lustratus in unda,
Fluminis ad ripam Iordanis, Pastor Iollas,
Non sibi, sed septis operosa piacula captans,
Deserti secreta petit, tentandus an esset,
Quem uox alma Patris superi, labensq́; columba
Non uano auspicio, cœlis uulgarat apertis.
Inde quater denæ peragit ieiunia lucis,
Mosei Patris, atq; Heliæ exempla secutus,
Quando nouis studuit ueteres adiungere ritus.

Vt paries geminus ſaxo connectitur uno,
Vnus ſæpe duo.committit ouilia murus.
Nec quicquam interea Cereris,nec mitis Iacchi,
Non lac commixtum fragis,non flumina libans
Vlla,nec euulſis paſtus radicibus,aut quo
Rore poli ſubito,morientia culta reſurgunt,
Eſuriјt tandem,moroſam paſſus orexim.
Quem ſator ut uidit tribuli ſegetiſq; malignæ,
Non cœli aut terræ nimiјs feruoribus uſtum,
Sed uicio geſtans infecti pectoris ora
Aethiopum,uiridiſq; intorquens lumina flammæ,
Aggreditur tali cunctantem callidus arte.
Cha.Agnoſco,uideoq; tuum formoſe nitorem,
Supra hominemq;,infraq; Deum potes ipſe uideri,
Sed quo te ſummi natum rear eſſe Tonantis,
Effice,quos ſterili lapides calcamus in agro,
Frugales uerſi extemplo mutentur in eſcas.
Iol.At non humanis menſis alimenta miniſtrat
Sola Ceres, ſimplexq; hominum cibus explicat artus,
Sed uerbo producta Dei quæ multa creantur.
Deinde ſenex Iuuenem ſacratæ ad mœnia terræ
Elicit,& templi ſublimis in arce locatum,
Aetherea ut perhibet genitum ſe ſtirpe,precatur,
Præcipitem pinna ſeſe demittat ab alta.
Cha.Nam ueterum teſtantur, ait, monumenta Virorũ

Nulla Dei quondam nocitura pericula proli.
Cœlesti mandauit enim Pater ipse cateruæ,
Vt Genitum mundi lustrantem littora seruet,
Efferat inq; ulnis, ne pes offensus eundo,
Cæspitibus duris, aut saxo occurrat iniquo.
Cui Diuina Puer sic rursus labra resoluit.
Io. Hoc quoq; priscorum sanxere uolumina Patrum,
Quod scelus infandum est, Dominum tentare, Deumque,
Et se lædentes non lenta ulciscitur ira.
Hinc tandem in summi porrecta cacumina montis,
Vnde patens fuerat terras prospectus in omnes,
Perducens Iuuenem, tenebrosi pectoris index,
Index, qui primos fœlici in ualle Parentes
Aggressus, quondam diro deceperat astu,
Innumeras ostentat opes, uarijsq; fluentes
Diuitijs urbes, & uasti maxima mundi
Imperia, & populos Dominis seruire paratos.
Atq; ait, hæc nostri cultus tibi præmia sunto,
Si modo pronus humi ueneraberis omnia dantem.
Tum facie rutila, uelut acrem incensus in iram,
Vltima tentantis sic Pastor uerba repressit.
Hinc scelerate Charon, procul hinc uæsane facesse,
Teq; meo mendax quàm primum subtrahe uultu.
An malus ignoras Diuino in codice pictum,

Tu Dominum atq; Deum tantùm ſubiectus adora,
Hunc precibus uenerare pijs, huic ſedulus omni
Aßiſtas cultu, ſupplexq́; hunc excipe uotis.
Protinus his dictis ſenior conterritus, aufert
Ex oculis ſeſe, dirùm ſtridensq́; gemensq́;,
Atq; abiens tetris uiciauit odoribus auras,
Nec tulit ulterius ſpeciem fulgentis. At illi
Alati lætas epulas poſuere Miniſtri,
Qui mox dulciſono complerunt æthera cantu.

AEGLOGA QVINTA, De Chriſti miraculis. Collocutores, Lynceus & Athys, hoc eſt Auctor carminis, & Cœlius ſub Iudice Parthenio.

Candida uere nouo cœli nitet aura ſereni,
Florea uernat humus, lucent ſata, germinat arbos,
Et uolucres uarijs agros concentibus implent.
Nos quoq; dum carpuntgemmantia pabula fœtæ,
Mitis Athys, fœlix inuitet ad ocia tempus,
Læticia ad cantus, alternaq; uerba ferentes,
Parthenio, ſi uis, certemus Iudice. Namq;
Propoſuit geminos uincenti præmia tauros,
Ripa ſaginatos aluit quos dulcis Hiberi,
Et bonus ingenijs Paſtor fauet. Euge relictis,

Rasilis ad numeros infletur tibia, curis,
Quæq; salutiferi celebres miracula Christi,
Quatuor in templi Pastores fronte notarunt
Falcibus, effigie diuersa membra tegentes,
Hic hominis, bouis hic, aquilæ ille, atq; ille leonis,
Materiam nostris sumamus uersibus æquam.
Ath. Tu potius cantes, quē Nymphæ blanda canentē
Linceu, quem Fauni celebres, Panesq; sequuntur,
Nam neq; me resonis mulserunt flamina cannis,
Nec Syringa melos fundit, nec spirat Apollo.
Nec si Musa roget, tecum temerarius ausim
Certare, aut precium tauros sperare torosos.
Verum age sic potius (nostrum experiere laborem)
Parthenio ut festi dentur libamina lusus,
Ipse legam flores, teretes tu finge corollas.
Lyn. Ne fuge, ne uulgi cantorum more rogatus,
Incipias ægre, desistas ægrius, atq;
Prædura ut Proteus expectas uincula Vates.
Nanq; ego te nuper latebrosa in rupe sedentem,
Virgea dum saturas deduco ad septa capellas,
Dulcisona sensi modulantem carmen auena.
Incipe, sitq; tuis & primus & ultimus idem
In numeris, nutu qui temperat omnia Iesus.
Dic primum, ut bibulo residens in littore, linis
Ad se piscantes iussit transire relictis,

Atq; hominum melius piſcari corda ſequendo,
Vt mox nubentis tendens ad feſta Mariti
Prandia, quando hilarans deerat conuiuia Bacchus,
Oppletis ſubito lymphis albentibus urnis,
Iuſſerit incluſos latices mutare colorem,
Inq; merum liquidas conuerti protinus undas.
Ath. Quin illum memini uomicas curaſſe putrentes
Quorundam, lacero cum corpore tabidus humor
Serperet, & traheret labes elephantia pulpam,
Nec minus hunc alijs cum morbus frigidus artus,
Vt rigidis tenues flabris agitantur ariſtæ,
Concuteret membris, ſolitum eieciſſe tremorem,
Et ſolido tremulos neruos fulciſſe uigore.
Sic aliquem rurſus, conſumpta ætate, morantem
Piſcinæ incaſſum motus, defeſſa grabato
Tollere membra iubens, patrias dimiſit ad ædes.
Lyn. At miſeram Petri Socrum, cum febris in imis
Oßibus hæſiſſet, totas hauſtura medullas,
Lætali & fibras uitales ureret æſtu,
Incolumem tantùm dextra tangente reliquit.
Idem aliam eluuie corrupti ſanguinis atras
Fœdantem ueſtes, ſiccato uulnere, ſanam
Reddidit, extremæ cum ueſtis tangeret oras.
Arentem alterius dextram reuireſcere mandans,
Flexibilem ad cunctos mulcendo præſtitit actus.

Strumo-

Strumosam, atq; caput procuruam erexit ab imo
Ipse solo, & stellas iussit spectare micantes.
Ath. Ast alium, cui labe cutis laxata tumeret,
Luteus & clausis uenter turgesceret undis,
Depulso exeruit morbo, lymphaticus alter
Illius attactu subito curatus abiuit.
Mutorum linguas, nodataq; labra resoluit.
Atq; oculos cæcis, surdis reserauit & aures,
Dans sputum atq; lutum, læsis collyria membris.
Spiritibus multos immundis liberat, olim
Obsessos. Testis, cui mutum eiecit ab ore
Spiritulum. Testis, cui septem fœmina sæuos
Dæmonas expulerat. Testis, Cananæa iacenti
Anxia pro Nata, Christo sub Iudice, cuius
Est laudata fides, rauca dum uoce precatur,
Nate Dauid miserere mei, miserere dolentis.
Lyn. Sed quid sanatos repetis? Nonne ipse feretro
Elatum, matris spem solam, & luce carentem,
Compositamq; thoro, mox Natam Antistitis, uno
Admonitu, è gelido fecit consurgere lecto,
Et numen laudare suum? Nonne ipse sepulchro
Lazaron exciuit, quarta iam luce fluenti
Corpore fætentem, decursaq; tempora uitæ
Instaurans, uiuis defunctum accumbere iussit?
Ath. Verum id non tanti, tamen est mirabile, nanq;

Lynceus occultum mentis motum ipſe uidebat,
Et quod quiſq; tegens ſecretum fecerat abſens,
Senſit, & hinc uerbi ſub ficus ſtipite dicti
Nathanael cœtum ſibi conſcius iuit in almum.
Hinc Mulier, ueteris cognoſcens crimina culpæ,
Indicioq; euicta ſui rea Iudicis, olim
Ad puteum, huic lymphæ præbens potabilis hauſtus,
Expleta eſt, propriamq; ſitim ipſiusq; leuauit.
Sed numero uincor ſignorum, nempe repreſſa
Tempeſtate maris, Socij cum fluctibus acti.
Huc illuc iamiam, ſummerſa puppe natarent,
Imperio frenans tumidum compeſcuit æquor,
Quod mox non madidis calcauit greſſibus idem,
In nauim ad Socios ſera iam nocte reuertens.
Lyn. Nunc repeto, fuit hoc, celſo cum è monte rediret,
Exactis precibus, cum Nazaræa coiſſet
Turba ferox, illum ut ſcopulo detruderet alto
Præcipitem, quando ex oculis euanuit ipſe,
Per medias uadens turmas, nec uiſus ab ullo,
Cum prius ille, fame turba languente per agros,
Milia quinq; hominum dapibus ſaturaſſet egenis.
Nam piſce ex gemino, quinoq; ex pane receptis
Reliquijs, cophinos bis ſex impleſſe feruntur.
Sic alias ſeptem non magnis panibus, atq;
Piſciculis paucis uiuentum milia farſit

Quatuor

Quatuor, exceptis Pueris, ac Matribus horum,
Et reliquum in septem sportas legêre minutal.
Ath. Hoc autem nulla credam ratione silendum,
Clarus enim, Patrum cœtu aßistente duorum,
Et tribus excitis in montem Fratribus altum,
Humanam egressus formam, stetit ore micanti.
Vt Sol discußis effulget nubibus, ut quæ
Nix modo fusa albet, sic candens luxit amictus.
Et uox è niuea descendens inclyta nube
Est audita Patris, Hic est dilectus in æuum
Omne mihi natus, placuit mihi semper, & illi
Quem genui uobis, Populi parete redempti.
Huic ideo meritos cantu reddamus honores.
Lyn. Hæc bonus in terris pro nostris geßit Iesus
Vsibus, exemplum præbens unàq; salutem,
Quando Deo atq; homini medium se feruidus offert.
Sed maiora prius pariter cum Patre potenti
Præstitit, ex nihilo cœlos, molemq; profundam,
Et genus omne uirûm formans, genus omne ferarum.
Huic ideo meritos cantu reddamus honores.
Ath. Quid generasse fuit nullo de semine cuncta?
Ni quæ condiderat, tueretur prouidus Auctor,
Semper & antiquis addens noua munera donis,
Arentem uiridi repararet germine mundum,
Adderet & genitis species ac nomina rebus,

Egregium

Egregium ut tanta se proderet arte Magistrum.
Huic ideo meritos cantu reddamus honores.
Lyn. Summa quidem memoras, illud tamen ipse supre-
Esse reor, quod se messor pro messe rescidit, (mum
Et Sator exposuit proprium pro semine corpus.
Pro seruo Dominus misero se uendidit orbi.
Occubuit Medicus, uitam dum contulit ægro:
Et fragili æternus iacuit pro stirpe Creator.
Huic ideo meritos cantu reddamus honores.
Parth. Quò ruitis Pueri? Præceps hic proxima rupes
Non sinit ulterius longos uos tendere cursus,
Et nox prona cadit. Sed uos pro talibus ausis
Victores ambo, tauris cum pinguibus hircos
Accipite, & ueteris laudem sperate cothurni.

AEGLOGA SEXTA, De Institutione sacramenti Eucharistiæ. Collocutores Iesus & Cephas, hoc est Princeps Apostolorum.

Finierat prisci uetus obseruantia secli,
Cædibus austeris mitem placare Tonantem,
Effusumq; rubris iugulis libare cruorem,
Et celebrare sacras pecorum nidoribus aras.
Hinc subeunte alio, reuolutis orbibus, æuo,
Iam noua progenies, sacra lex, pia uenerat ætas,

Et iam

Et iam tempus erat, quo magni Pastor ouilis,
Immensiq; Patris Genitus, spesq; unica, Christus,
Iam dudum ad festas epulas, & flumina læta
Ipse suosq; greges, suaq; hæc armenta uocabat.
Ergo ubi seruantes recutitæ sabbata turbæ,
Azyma festa focis priscoq; ex more pararent,
Cædere lustrales dapibus paschalibus agnos,
Ille etiam cupiens duodenam pascere turmam,
Et mox his ducibus, reliquas explere cohortes,
Imperat actutum conuiuia sancta parari
Hic, ubi dulcis aquæ portantem forte lagenam
Compererint, nec multum illos subit inde Penates,
Ac postquam ad cœnam bissenos rite Ministros
Conuenisse uidet, cunctis discumbere iussis,
In medio perhibent dixisse hæc uerba sedentem.
Ies. Nulla mora est, tradar manibus iamiã ipse nocentũ,
Et me Fata uocant, quando hæc celebrata uetusto
Præsignant ritu nostram solennia mortem.
Nam si sacra Deus fieri sibi talia iußit,
Quo populum è duro libatis duceret agnis
Seruitio Aegypti, senior si guttura Nati
Olim iussus erat sæuo distringere ferro,
Vt pietas euicta Deo pietate placeret,
Me quoq; clade mea mundi peccata piare
Conuenit, & captam tenebris euoluere plebem,

Cæde

Cæde ſalutiferi, quem uos nunc cernitis, agni.
Et pietas pietate mea uincenda, fidesq́;
Exuperanda fide eſt, pellatur ut eminus hoſtis
Peſtifer, & barathri lateat ſub gurgite merſus
Ille lupus, uariusq́; draco, qui ſepta pererrans,
Milia multa ouium latebroſa condidit aluo.
Imperioq; mori ſummi Genitoris oportet,
Vt coeant Superis coniunctæ hoc fœdere gentes.
Vltro epulas igitur cuncti libate paratas,
Tuq; incumbe meo femori Puer inclyte, quondam
Vt reſeres generi præcordia noſtra futuro.
Quod ſi ſcire cupis, qui me male prodere pergit,
E numero eſt, ſpecta, cui tinctam porrigo quadram.
His dictis, menſa tollit ſe protinus ipſe,
Præcinctumq; gerens uillis mantile reciſis,
Incipit à primo Sociorum crura lauare,
Abſtergitq; pedes niueo uelamine lotos.
Atq; ita dura Cephæ loturus crura præhendit,
In peluim exponens, quæ plena hos ſtabat ad uſus,
Atq; hunc audiuit tali ſibi uoce loquentem.
Ceph. Haud equidem patiar, nec fas eſt, ſumme Ma-
giſter,
Diſcipulum ipſe laues monitor, Dominus quoq; ſeruũ.
Cui rurſum hæc Chriſtus Diuino reddidit ore.
Ieſ. Hæc tibi nempe Cepha certo, niſi laueris, inquam,
Cœleſtis

Cœlestis fies regni non dignus & expers.
Ceph. *Atq; huic deinde Cephas,* Non *tantum crura pedesq́;,*
Sed caput atq; manus, totumq; hoc ablue corpus,
Si libet, ipse nihil cunctatus iussa subibo.
Ies. *Lautitie tanta non est opus, inquit, habenti*
Cor *mundum, nitidosq́; reor uos, non tamen omnes,*
Q*uandoquidem infecto quidam se pectore tollit.*
V*erum hæc nunc uacua mea dicta capeßite mente,*
I*pse quidem uestri quamuis* Dux *agminis essem,*
E*t* D*ominus, iustaq; data ditione potirer,*
N*on tamen interea uobis persæpe minister*
*(*C*um res ipsa tulit) dici fieri ne recuso,*
E*xemplo ut nostro,* M*aiores deinde minorum*
N*on pudeat sese uigiles præbere ministros.*
S*ed stratis panes ac uina reponite mensis,*
A*tq; hæc, quæ tradam, uestræ monumenta salutis,*
A*ccipite extremum legatum, & pignus amoris,*
V*erbigena id uerbo moriturus rite sacraui.*
H*anc ego sanctificans sacro lustramine quadram,*
D*o uobis, corpusq́; meum est hoc, sumite læti,*
E*t celebrate pij deinceps mysteria sacri,*
H*acq; mei turmæ sub relligione pientur*
P*erpetuò memores.* S*imiliq; hæc uina dicata*
O*rdine uerborum, nostri sint sanguinis haustus.*

Namq; calix, legisq́; nouæ fundamen habendum hoc,
Pro uoto effertur uiuorum, & luce carentum.
Sic igitur gemina iungens conuiuia cœna,
Cultibus antiquis das finem, exordia ponis
Inde nouis, legisq́; excipis mandata uetustæ,
Inceptasq́; aliam, diuersaq; fœdera iungis
Tu medius Pastor seclorum, & summe Sacerdos.
Melchisedech primus Cerealia munera templis
Obtulit atq; merum. Similisq́; uiatica crusti
Heliæ rexere pedes. Frugumq; refectus
Est ope, quando Dauid defessus ab hoste rediret,
Quam dedit Abimelech sacratam è limine sumptam.
Hæc sunt cœlestis pluuialia munera roris,
Quæ pauere pias tam longo tempore gentes,
Per deserta suos loca dum petiere Penates,
Et patriam antiquam, & promissæ iugera terræ.
Hac ope sacra tibi nunc pascis ouilia Christe,
Cœlestiq; cibo recreas mortalia præsens
Corpora, nosq́; beas, pura si mente litemus.

AEGLOGA SEPTIMA, De Paßione Saluatoris. Auctor solus loquitur.

OLim liuor edax duros armauit agrestes,
Concurritq; frequens, fumosis concita tectis,
Turba

Turba nocens, properans insontem extinguere Daphnim,
Cum uidet huius oues niueum producere uellus,
Fœturæq; nouæ recipi uix caulibus agnos,
Et ferri totam lac non uenale per urbem.
Hunc ego, iamdudum curam hanc dimittite, uobis,
Vnus ait comitum, dentur modo præmia, tradam,
Neu uos effigies Fratris uicina figuræ
Decipiat, cui ficta ferens ipse oscula figam,
Vos illum actutùm manibus uinclisq; tenete.
Non aliter quondam bis sex è Fratribus unus
Venditur, ut mitis ter deno uictima nummo.
Ergo ubi dira fero gens est impulsa furore,
Vultibus obscœnis, & sæuo turbine fertur
Huc, ubi odorifero moriturus Daphnis in horto
Sæpe preces Patrem ueniens fundebat ad altum.
Nec mirum, locus est herbisq; & arbore cultus,
Lectus ad insidias. Simili insidiatus in heruo,
Per teretes coluber truncos & brachia serpens,
Iam primum antiquam seduxit murmure Matrem,
Compulit & uetitis fauces corrumpere pomis.
Vnde Virum inuasit contracta à Coniuge labes,
Quæ repens, genus & totum fœdauit ouile.
Vnde igitur mors cœpta, greges hinc uita manebat.
Nec mora, fatiferæ progressa è mœnibus urbis,

Proruit, ut rapidum præceps captura latronem,
Terribiles uultus nigro suffecta ueneno.
Hic torres, gerit ille sudes, hic stipite querno
Armatus, præfert erecto lumina cornu.
Sed postquam in uiridi quæsitum protinus agro
Orantem, & riguo Sociorum corpora somno
Procubuisse uident, non tendere cominus ausi,
Subsistunt, proniq; cadunt, terramq; maligno
Ore premunt, nec rursus eos attollere contra
Corpora fert terror gelidos diffusus in artus,
Donec ductorem scelerum, timidosq; ministros,
Qui mactandus erat, uerbis confirmat amicis.
Nimirum dilexit oues, quas pauerat, ausus
Pro grege, quē coluit, bonus idem occumbere Pastor.
Et caput unius pro multis fata petebant.
En adsum. Quid Amice uenis? Quod uoluis ab atro
Pectore, fac propere expedias, & perfice munus.
At uos quid tantos mouit concire tumultus,
Vt tanquam pecoris raptorem, & lactis opimi,
Fustibus infestis peteretis, & undiq; signis?
Non ego terrarum & naturæ fœdera monstrans,
Vobiscum in pago & campis spaciabar apertis?
Turbidus, his dictis, propius se proditor offert,
Audet & os ori tetrum miscere nitenti,
Atq; ita signa ferens pando dedit oscula rictu.

Hic

Hic ſubito Daphnim inuadens ignobile uulgus,
Dat poſt terga manus, dat fortia uincula collo,
Vtq; reum raptans, pulſat, pellitq;, trahitq;,
Aſt alij cædunt alapis, & iurgia iactant,
Effunduntq; graueis immundo ex ore ſaliuas.
Nec tamen interea oblitus præbere ſalutem,
Quamuis ſæpe labans turba premeretur ab omni,
Auriculam Malcho abſciſſam ſine labe reponit,
Et monuit, ne quis uagina educeret enſes,
Quum gladio feriens mox ſit feriendus & idem.
Sic ueterem obſcura rapitur dum nocte per urbem,
Nunc eſt ad Cayphan, nunc eſt traductus ad Annã,
Rurſus ad Herodis crudelis limina fertur,
Pilati demum prætoria Præſidis intrat.
Dum quærunt, quo ſe tueantur Iudice ſontes,
Iactatus, multisq; probris affectus ubiq; eſt.
Dum ſilet, aut qui ſit, timida non uoce fatetur,
Acrius inſultant, laudemq; in crimina uertunt.
At Socij fugiunt, quà terror perpulit acer,
Hoc tamen excepto, in menſa qui fortior antè
Prodentem ad pœnam furiata mente popoſcit,
Mox Malchum inuaſit gladio, deiecit & aurem.
Tum ſolo ancillæ admonitu ſtupefactus, ad ignem
Abiurauit Herum, uerbis bis terq; negando,
Nec potuit galli cantum expectare ſecundum.

At qui prodiderat, ſceleris ſibi conſcius acti,
Abiecit nummos, deſperataq; ſalute,
Infœlix nodum ficu ſuſpendit ab atra,
Et poſtquam è ramis, eliſa fauce, pependit,
Protinus huic rupto fluxerunt uiſcera uentre.
Poſtquam igitur Præſes culpa damnare uacantem
Erubuit, monitiſq; & uiſis Coniugis *hæret,*
His dictis tentat populum placare furentem.
Proxima lux feſta eſt, ſoliti dimittere ſontem,
Hunc ſolui, an Barabam *præfertis?* Dicite *cuncti.*
Exclamabant Barabam, *atq; cruci te affigere* Daphnim,
Poſcimus, haud huius (tulerint modo fata) timemus,
Et nos & noſtros perfundi ſanguine Natos.
Hinc alia ſtolidos ſi forſan mitiget arte
Expertus, duræ nitidiſſima membra columnæ
Applicat, ac nudum manibus poſt terga reuinctis,
Carnificum denſo contundens uerbere cædit.
Atq; ita liuentem plagis, ſparſumq; cruore,
Ad ſæuæ ducens iterum ſpectacula plebis,
En ait, en ueſtrum placidi iam cernite Regem.
Perſiſtunt, Regem*q; negant, certoq; frementes*
Supplicio expoſcunt, ut ab arbore pendeat alta.
Ergo ubi nulla datur iuſtum ſeruare facultas,
Immitis, lotis manibus, ſententia fertur.
Damnatoq; ferox gens circumfuſa repente,

In solio ut Regem uestitum murice sistit
Illudens, capitiq; grauem premit usq; coronam,
Lectificis spinis, & acerbo germine textam.
Interea haud lentè patulis crux ardua ramis,
Insignis titulo, & membris decoranda supinis,
Quatuor ad mundi partes conuersa paratur.
Haud secus illa olim fluctus super enatat altos
Arca, Senem portans, seruataq; semina rerum.
Sic fuit è ramis suspensus æneus anguis,
Efficiens tutum genus à serpentibus atris,
Intutuq; leuans languentia corda potenti.
Hic tum terga leuans, ulnis extensus apertis,
Inter latrones, potuq; affectus amaro,
Amplexus genus omne uirûm, referensq́; salutem,
Vulneribus quinis alienæ crimina culpæ
Diluit, & patriæ extorres nos reddidit altæ.
Sed Natum cernens extinctum languida Mater,
Dat querulos planctus, Materteraq; utraq; luctus
Ingeminat, Sociusq́; gemens, & Amica. Duasq;
Finditur in partes uelum altum, & uiua sepultis
Corpora mixta ferunt intra urbem errasse, tremo-
remque
In terris, tristiq; orbem luxisse figura,
Dum Phœbus nigra texit ferrugine uultus,
Et subito exortæ clauserunt cuncta tenebræ.

AEGLOGA OCTAVA, De Resurrectione Saluatoris. Collocutores, Maria Magdalene, sub nomine Aegles, & Iesus, sub nomine Acanthi.

COncussa est tellus, tonuit polus, aeraq; ignis
Diffindens, subita tetigit formidine mentem.
Me miseram, ne quis Diuini membra Magistri
Sustulerit, gelido nuper composita sepulchro,
Atq; ideo Genitor crepitantia fulmina torquens,
Sacrilegos trifida properet consumere flamma.
O ueneranda Viri species, uultusq; beatus,
Nil mortale gerens, quamuis moriturus, & illa
Gratia, maiestasq; oculis innata serenis.
Frons risus expers, uerum mitissima cunctis
Supplicibus, rursusq; apparens saeua superbis,
Quae solo intutu potuit terrere nocentes,
Solariq; inopes animos, curasq; leuare,
Attactu curare greges, auraq; salubris
Oris, ab innumeris seruare armenta periclis,
Siue his obfuerant infecti pabula prati,
Seu uicium coeli, seu partes sparsa per omnes,
Tabifici laesit praeceps contagio morbi.
Quae uerbis saeuos nouit lenire leones,

Naturæ uariare uices, elementaq; sacra
Voce mouens, ueterem rerum mutare tenorem.
O me fœlicem tunc, cum mea tecta subiret
Ad cœnam, tantus Socijs comitantibus Hospes.
Fœlix obtutus, cum me miseratus egentem
Consilij, conuersa oculorum luce beauit.
Fœlices lachrymæ, pedibus fœlicia quondam
Oscula fixa satris, quiq; hos tersere capilli,
Et quod sydereum corpus perfudit aroma.
Fortunata Soror, qua componente, recepit
Ille dapes. Verum fœlix per secula Frater
Lazarus, è rapidi reuocatus faucibus Orci.
Præcipue fœlix, quæ talem gessit in aluo,
Quæ talem peperit, quæ talem sustulit ulnis,
Et Nati demum miracula uidit adulti
Excellens Genitrix, sed nunc miseranda uel ipsis
Iudæis, quibus in prolem exercere nefandum
Ius licuit, uitæq; Auctorem opponere morti.
Inprimis stupeo, placida quàm mente peregit
Iussa Patris superi, quàm clemens iuit ad aras
Hostia, pro gregis electi manctanda salute.
Crudelisq; sibi, nobis pius, obtulit ultro
Carnificum manibus pro nostra candida culpa
Pectora, nosq; sui puro lauat amne cruoris.
Illa mihi ante omnes uenerabilis hæret imago,

Visceraq; euoluit, cum clauis fixus iniquis,
Hinc atq; inde manus, & duro in stipite plantas,
Spinarumq; graui traiectus tempora serto,
Perfossusq; latus lætalis cuspidis hasta,
Vltima demisit morienti uerba palato,
Aeternum humano generi testatus amorem.
Nam Sitio, dixit, Iuuenumq; Senumq; salutem,
Discipulum hinc Matri, Genitricem tradidit illi,
Huic dicens Mater, tuq; ipse Filius esto.
Seq; piè fassum transscripsit in astra latronem.
Hinc mox exclamat, Quid me Deus alte relinquis?
Hanc tibi trado animã, manibus Pater excipe Natum,
Subdidit. Hocq; sacro postremum effudit ab ore,
Consummata mei iam sunt mysteria cursus.
Sed quid nunc uideo? Quis duri saxa sepulchri
Euoluit, Iuuenes? Texit quos candida uestis,
Formosæq; decent alæ. Quis sustulit almum
Corpus? Et egregiæ custos ô uillice terræ,
Dic, ubi, quæso, mei Domini pia membra locaris.
Me miseram, quid agam, lachrymis quis finis acerbis?
Acanth. Quid ploras Mulier? Viridi quem quæris in horto?
Non deinde hic quæras, surrexit ad æthera Christus.
Ecce uides uacuum, quò nuper conditus, antrum.
Aeg. Tune ipse es, nuper uita perfunctus Acanthus,
Qui

Qui crucis aeriæ fueras ſublatus in aram,
Quem modo condidimus gelidi ſub fornice ſaxi,
Pulchrior, euictis tenebris, poſt fata reſurgens?
Proh quàm læta meam peruadunt gaudia mentem,
Accedam, amplectarq; pedes uenerande Magiſter.
Acanth. Quin procul hinc ſaxis, iubeo, & me tangere noli,
Nondum etenim ad ſummum conſcendi Victor Olympum.
Sed pete Diſcipulos, dic illis, quod leuis alta
Aſtra peto, omnifici manſurus in arce Tonantis,
Ad dextramq; Patris redeo, unde antè profectus.
Aeg. O quàm fauſta dies populis apparuit imis
Et ſuperis, micuit quàm læto Lucifer aſtro,
Cum mors morte perit, luxq; omnis luce redempta eſt.
Hoc quoq; non multum eſt, cum morti proximus eſſet,
Veridica genti prædixit uoce prophanæ,
Euertam hanc dicens imis à ſedibus ædem,
Et triduo euerſam mox rurſum ad ſydera tollam.
Hoc etiam Ionæ caſus portenderat olim,
Quem maris abſorptum ſeruans ſub gurgite cete,
Illæſum euomuit, ſuperasq; efflauit ad auras,
Tertia cum terris Aurora reduceret orbem.

AEGLO-

AEGLOGA NONA, De Ascensione Saluatoris. Collocutores, Athanatus, hoc est Christus iam immortalis, & Chorus Pastorum atque Agricolarum, id est Discipulorum congregatio.

NVnquid adhuc duræ geritis præcordia mentis,
Torpetisq; gelu? Nam quæ uos tanta moratur
Segnicies, quid adhuc animis dubitantibus obstat?
Num manifesta fides operum, & spectata meorum
Gloria, uos ueteri potuit depellere sensu?
Ecce quater denis per terras rite diebus
Dum moror, euersi post uincula rupta sepulchri,
Post Erebum euictum, spoliataq; Tartara sanctis
Manibus, occluso bis iam uos limine adiui,
Ostendiq; sacrum quino cum uulnere corpus,
Singula quæ Didymus digitis tractauit adactis,
Pro se, proq; alijs tenebras ut demere poßit
Mentibus, æternamq; pijs inducere lucem.
Quin etiam apparens piscoso in littore rursus,
Cum mare seruassent per noctem retia frustra,
Mane plagas multis oneraui piscibus amplas.
Vobiscum ipse fauo lætis epulatus in herbis,
Tumq; petens bis terq; Cepha, me an prorsus amares,

Te

Te caput armentis statui gregibusq; Magistrum,
Et iussi, in terris tu Pastor maximus esses.
Quod si uerus amor stimulis urgeret acutis,
Non resides,non uos fieri pateretur inertes.
Ite igitur,meaq; alma bonis diffundite campis
Semina,spemq; gregis syluas mox inde per omnes
Tendite,Pastores pariter pariterq; Coloni.
Nam quicunq; meis iunget se caulibus usq;
Credulus,ac nostro lustratum tinxerit unda
Nomine,sacrata tollens aspergine labem,
Letiferi hunc fugient morbi,pestesq; malignæ,
Nec fera,nec diris comprehendet faucibus Orcus,
Expositus pœnis quibus est incredulus omnis.
Protinus & fidos certissima signa sequentur,
Nempe mea Furias pellent uirtute nocentes,
Effundent uarijs diuersa in murmura linguas,
Monstriferos uerbis extrudent eminus angues,
Toxica non illos,poterit non lædere uirus,
Diffusum ue olim per pocula nigra uenenum.
Languores quoq; luctificos agitabit ab ægris,
Ostendet quisquis nostro se numine dignum.
Interea quoniam superas feror altus in oras,
Cum pompa ad Patremq; meum uestrumq; reuertens,
Meq; triumphantem excipiet mox regia cœli,
Cœlicolûm & præmissus adest mihi flammeus ordo,

Obuius

Obuius occurrens rutilis pulcherrimus alis,
Expectate, meus ueniat dum Spiritus, ut uos
Promisso illustret perfusos lumine cunctos.
Cho. I fœlix ô uere Deus, Sobolesq; Tonantis,
Athanate, & nostri quondam reminiscere cœtus.
Accipimus uocem, cœlo quæ lapsa sereno,
Purpureoq; fluens fulgentis ab ore Ministri,
Nil miremur, ait, cœli per aperta tuentes,
Teq; olim simili rediturum ad prata tumultu
Asserit, ut possis extremo munere fungi,
Et iusta fœtus pecorum suspendere lance.
Id signans Enoch Deus extulit, & face raptus
Flammigeri Helias penetrauit in æthera currus,
Sidereum subito contingens turbine cœlum.
Sensit idem Pastor funda torquente Giganti
Congressus, tripliciq; infringens uerbere frontem.
Dixit enim, In summos tua magna potentia cœlos
Proripuit, supraq; Deos erectus abisti.
Idem iterum ascendit Dominus, quem gaudia uocum,
Clangoresq; tubæq; ad Superos comitantur euntem;
Nube leui hæsurum, Helias prædixerat antè.
Pastor Amos, Igitur summum molitur Olympum,
Vaticinatus ait. Micheas, Daniel, reliquiq;
Pastores, etiam hoc concordi uoce tulerunt.
Ergo hilares festo feriamus pectora plausu,
Grataq;

Gratáq; multiſonis modulemur carmina cannis.
Gloria mittenti, redeunti Gloria uelox,
Gloria ſit ſacro, qui iam mittendus in igne eſt,
Quorum ternus honos trunco prorumpit ab uno.

AEGLOGA DECIMA,

De Emiſsione ſancti Spiritus. Collocutores, Duodecim Apoſtoli, ſymbolum Chriſtianæ Religionis, ſingulorũ traditione, inter ſe componentes.

EXcipit egregio uiduatum præſide cœtum
Clauiger, extremumq; locum, qui fortè uacabat.
Inter biſſenos remouens ſine nomine Fratres,
Illius, oppreſſa qui nuper fauce pependit,
Quàm primum iubet educta decernere ſorte.
Nec mora, Sorte data, uacuo prælatus honori eſt
Mathias, partemq; ſacri ſuſcepit ouilis.
Et iam Sòl radijs madidas ſiccauerat herbas
Rorè poli, fluuiosq́; è paſtu armenta petebant,
Extemplo ſubito cœlum reſeratur hiatu,
Et ſacro tectum omne domus confunditur ignè,
Cum tonitru labens, qui turbam inuaſit in omnem,
Nec læſit quenquam, ſed frigida pectora fouit,
Exacuens hebetes uaria in præconia linguas.
Res haud nota unquam, cum gens diuerſa coiſſet,

Par-

Parthusq; & Mœdus, Proceres quoq; Persidis, & qui
Tygris & Eufrates medius plana incolit arua,
Nec non palmiferæ cultor Iudæus Idumes,
Cappadoces, & quos fert Pontus, & Asia tellus,
Dardanij atq; Phryges, simul & frondentis alumni
Pamphyliæ, & populi Libyæ, atq; Aegyptia pubes,
Et Cyrenæo ueniens de littore uulgus,
Romanus, Cretensis, Arabs, & mixta propago,
Plurimus & properans ignoti è partibus orbis,
Quisq; tamen patrio sensit sermone loquentes,
Quisq; suæ audiuit consueta uocabula linguæ.
Et quoniam simili afflati sunt numine cuncti,
Bissenas nostræ legis iecere columnas,
Quis etiam uario priscorum ænigmate Vatum
Signauere chori, fatorum nuncius ordo.

PETRVS I.

Principioq; Cephas surgens, sic dicere cœpit,
Esse Deum, qui cuncta potest, qui cuncta creauit,
Confiteor, summaq; orbem ratione regentem.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

ANDREAS II.

Post quem mox Fratrem memorant sic deinde locutũ,
Assero, quod Patris est soboles bonus inclyta, Christus,

Vnicus

Vnicus & mundi Dominus, Princepsq; salutis.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

IOANNES III.

Scribarum hinc subito excipiens ita Signifer, inquit,
Hunc reor intacta Puerum de Virgine natum,
Atq; operante sacro conceptum Pneumate Iesum.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

IACOBVS MAIOR IV.

Quartus ab his Iacobus ait, Zebedeia proles,
Ipsum etiam testor Pilato Præside passum,
Pro nobis tolerasse crucem, subijsse sepulchrum.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

THOMAS V.

At Didymus nihil addubitans hæc asserit ultro,
Solueret ut Patres, Manes descendit ad imos,
Et redijt cum se lux tertia reddidit orbi.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

IACOBVS MINOR VI.

Ex hinc Alpheus confert, quæ sensit, in unum,
Ad Superos penetrans, dextræ Patris aßidet alti,
Omnipotens, Victorq; Herebi cum Flamine regnat.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

PHILIPPVS VII.

Moxq; Scytham hæc perhibent alijs memorasse Philippum,

d Hinc

Hinc iterum Iudex functis u[illegible]q; redibit,
Sontibus ut pœnas, & iustis præmia reddat.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

BARTHOLOMAEVS VIII.

Inde Lycaoniæ sic sanctus protulit Hospes,
Esse Deum hunc credo, qui nos modo lumine sancto
Lustrauit, Patris ac Nati Spiramen amorq;.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

MATTHAEVS IX.

Matthæus cecinit deserta hæc deniq; mensa,
Sunt quoq; membra Dei summo de uertice, totum
Concilium hoc, Christiq; omnes sub nomine cœtus.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

SIMON X.

In sacroq; Simon decimus sic ordine fatur,
Cuncta, iubente Deo, fient communia Sanctis,
Purgandisq; hominum sunt certa piacula culpis.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

IVDAS THATAEVS XI

Accedens Thatæus, ad hæc est pauca locutus,
Corpora subuersis erumpent functa sepulchris,
Perpetuoq; suis Animæ se fœdere iungent.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

Mathias

MATHIAS XII.

Suffectusq; alij Mathias, ultimus infit,
Vita beata pijs, pietatis gloria, Summumq;
Est precium, æterno intutu spectare Tonantem.
Ergo uni ternoq; Deo sit fausta potestas.

AEGLOGA VNDECIMA, De Vltimo Iudicio, quo iusti ab impijs discernẽtur, & distinguentur. Auctor solus loquitur.

TEmpus erat, celso cum summi è uertice montis
Fulmineus Pastor pecuaria tota recensens,
A niueis terros agnis secerneret hœdos,
Inq; Vrbem è latis armenta reduceret aruis.
Nam lupus ille ferox, Pastoris nomine captas,
Seducens pecudes, nunc ui, nunc sæuior astu,
Deceptos laniare greges consuetus in eruis,
Cladibus infandis signatum affecerat agmen,
Lugubriq; plagas palatu impleuerat omnes.
Iam fera tempestas præmiserat horrida terris
Signa. Quater denas elatus Pontus in ulnas,
Hinc rursum informi reuolutus ad ima recessu,
Prodidit obscœnas, subtracto gurgite, ualles.
Ballenæ, phocæq; graues, scopulosaq; cete,
Vltimã luctisonos misère ad littora planctus.

Torrida multifidis arserunt æquora flammis.
Omnis sanguineis sudauit roribus arbos.
Omnis auis tristes celebrauit in aere cœtus.
Corruerantq; domus, rutilis mox undiq; septa
Ignibus, aerios uastarunt fulmina tractus.
Collisi lapides, tremor & telluris hiulcæ,
Omnia terribili prostrauit corpora motu.
Vallibus æquati montes, & turbine rapti
Puluereo, planos texerunt æquore campos.
Egreßi ex antris homines insana tulere
Ora, nec alternas potuerunt reddere uoces.
Inq; fores tumuli, reseratis ossa sepulchris
Constiterant solidæ reditura in corpora molis.
Proripuere suis delapsa è sedibus astra,
Mortiferasq; comas totum sparsere per orbem.
Inq; unum coiere feræ, lugubreq́; gementes.
Postremo cecidere omnes Iuuenesq́; Senesq́;,
Vt rursum in superas remearent cœlitus auras.
Et ueteri exciso, flammis populantibus, orbe,
Extructoq; nouo, post tanta incendia, mundo,
Antiquos redijt surgens stirps omnis in artus,
Iudicis horrifici extremum subitura tribunal,
Haud simile huic, sapiens Salomon quod prodidit olim,
Iudicio dubio Matrum inter iurgia nato.
Ergo ubi rauca dedit sonitum tuba, protinus omnes

Excitæ

Excitæ coeunt diuerso è littore gentes,
Quas oriens Phœbus radijs afflauit Eois,
Quasq; cadens tepido lustrauit lumine, quasq;
Vidit uterq; Polus, Boreas quas perflat, & Auster.
Omnis relligio, lex omnis, sexus, & ætas,
Quilibet ordo hominum, quocunq; in tempore natus,
Quisq; gerens patula culpas in fronte notatas,
Quisq; suis studijs, & uita nobilis acta,
Currit in exiguam uario sufflamine uallem.
Quos supra ostendens multo se lumine Pastor,
Fortibus asseclis, fulgentiq; agmine septus,
Et quino decorans plagarum stigmate corpus,
Constitit ore ferox, haud exorabilis ulli.
Hinc rectam liquido suspendit ab aere libram,
Lancibus expendens geminis fas omne nefasq;,
Et merita & noxas, laudes & crimina septis.
Nec mora, quos nimio curuari pondere culpæ
Cernit humi, legat iustus ad Tartara pœnis,
Perpetuò ut nunquam cruciatu occumbere poßint
Exhausti, sed fine carens dolor urgeat illos,
Hic ubi tristis adest horror, stridorq; gementum,
Et labor, & facies rerum malesana, chaosq;.
At quos in nitidum uolucres sine crimine cœlum
Altius efferri, sublato examine, uidit,
Destinat æternis, cœtu plaudente, triumphis,

Hic, ubi ſancta cohors, recti ſibi conſcia gaudet,
Calcato fœlix mundo, potiturq; Tonantis
Intutu, cunctis opibus quem prætulit unum.

AEGLOGA DVODECIma, De Vita beata. Collocutores, Arinnius & Geraldinus, ſub nominibus Lyci & Lyncei, Agricolæ & Paſtoris.

LYCVS.

DIc mihi, meq; doce, tanti quæ meta laboris,
Quis fructus ſtudijs, quæ noſtri præmia cultus
Expectanda putes, operoſi carminis Auctor,
Stirpe Geraldina, & priſcis generate Sabinis.
Nam ſi perpetuus labor eſt, merceſq; caduca,
Pro granis paleas reddens, pro fructibus umbram,
Mallem equidem nunquam terras coluiſſe malignas.
Lyn. Heſperidū cuſtos Lyce agrorū, & cultor Arinni,
Felix iſta tibi toga ſit, fœlicibus opto
Auſpicijs, fulua iſta legas, quæ poma tueris.
Hoc iubet Alcides, noſtræ quo Vindice terræ
Purgantur monſtris, cui fulget purior ætas.
Secula compoſitis qui gentibus aurea reddit,
Hiſpaniq; docet Mauros iuga ferre Leonis.
Sed tibi quando petis rerum me dicere curſus,

Euentusq; operum, supremaq; fata senectæ,
Alcinoi arboribus poscis me adiungere fœtus,
Triptolemiq; satis frugales addere culmos.
Ly. Quin rogo, tu potius, ualidas dum scindo nouales,
Venturisq; paro Cerealia meßibus arua,
Dumq; tuæ pascuntur oues, age confer in aurem
Nunc aliquid, cantuq; meum solare laborem.
At si forte frequens te cepit opinio Vatum,
Quos sequeris, dic, an tantum bona summa putaris,
Quæ spectas, nec deinde uelis optabile quicquam,
Extinctoq; omnes finiri corpore curas.
Lyn. Non cadit in sanas fallax sententia mentes,
Nec me Nasonis seducunt carmina, nec me
Falsus Aristippi traducit ad auia limes.
Nam stultum in fragili est spem certam ponere fune,
Et plenam à canna puppim relegare palustri.
Verum hæc uita breuis nostræ data lubrica tandem
Area militiæ, meliora ad regna remittit,
Hic labor est, illic sunt præmia certa laboris.
Ly. Ergo illic non arma ferent, non bella mouebunt,
Nullaq; terrificos emittent castra tumultus.
Nec fora, nec leges, nec Iudicis ora minacis
Terrebunt sontes. Nec inanis splendor honorum
Sollicitos tota Proceres agitabit in aula,
Ambitio ue agitans regimen, uenalia prodet

Munera, nec metus hos, illos urgebit egestas,
Non amor, aut odium scelerata in carmina pellet,
Inueniet ue nouas artes immensa cupido,
Quæ nullo rerum partarum expletur aceruo.
Lyn. Quin etiam nullus solitis erit artibus usus,
Cessabit uomis, cessabunt rastra, ligones,
Sarculaq; & marræ, falces & plaustre, trabeq;.
In cœlum nimijs iam nemo palatia tollet
Sumptibus, aut operam conducet, iners ue locabit.
Ascia nil, nil serra dabit, magnæq; dolabræ,
Circinus, atq; æquans iuncturas regula uaras.
Nam nec nauigijs coniunget littora quisquam,
Nec trahet inuectas ullus per flumina merces.
Lyn. Magna refers, & uera quidem, maiora tamen sunt,
Quæ reputo. Sed iam paulisper cesset aratrum,
Quandoquidem haud facile est, mentem exercere, manumque.
Hic aer, nostrum qui lustrat pendulus axem,
Non uarias sumet formas, nunc lucidus, & nunc
Turbidus, aut raras tendens in uellera nubes,
Non niue, non pluuia, non grandine, non grauis æstu,
Non uentis agitatus aget bona nostra per auras.
Nec uel nocte dies uincetur tempore brumæ,
Vel nox uicta die paucas redigetur in horas.

Non erit autumnus, non uer, non bruma, nec æstas,
Nec qui temporibus dirimit Sol quatuor annum,
Nec altos tollet currus, nunc preßior ibit,
Per duodena means obliqui tramitis astra.
Lyc. Ipsi immo reliqui, quos idem concitat error,
Consistent, nec deinde polus, qui cætera torquet,
Vertet agens secum septenos mobilis orbes,
Cunctaq; composito iam tandem fine quiescent,
Pulchraq; erit facies elementis, splendida semper,
Nec quicquam dehinc fecis habens. Quippe ordine miro,
Post ubi conciderit flammis lustralibus orbis,
Candidior mox deinde nouo se lumine tollet,
Vt quæ nata Indis † asuesta feruntur eremis ἀσβεστα
Lina, suos uertit dum gens mortalis ad usus,
Gausape, uel lautis texens mantilia mensis,
Vt niteant, rapido longùm torrentur in igne,
Qui ueteres labes, maculosaq; tegmina demit.
Sic igitur dempto reuirescet pondere mundus,
Emergetq; acris, reparatus flore iuuentæ,
Vt positis spolijs iuuenescit lubricus anguis,
Fixus ab integro sic, ut nec secula poßint
Eruere, aut auida uastare uoragine tempus.
Hinc reor, ut ueteri corrumpi nescia casu,
Corpora nostra leuis tollet super astra uolatus,

Nec malesuada cibi deinceps cura tenebit,
Cum nec mortali fuerint obnoxia fato.
Lyn. Nec metuent Animæ, Censoris adire tribunal,
Quando Dei iusto libratæ examine, noscent
Se ad festos thyasos, & gaudia certa uocari.
Ergo eius uisu secura in pace fruemur,
In commune hilares omnes, meritisq; beatus
Quisq; suis. Nec lapsus erit, nec terminus æui,
At præsens, & fine carens, ac summa uoluptas.
Ly. Rite sapis Vates, nec quicquam certius istis
Asseritur dictis, modo sensus facta sequantur,
Et manifesta fides operum ratione probetur.

